VINDICIAE

TRAGOEDIAE ROMANAE

SCRIPSIT

ADOLPHUS GOTTLOB LANGE

PROFESSOR SCHOLAE PORTENSIS.

LIPSIAE, 1822.

SUMTIBUS FRID. CHRIST. GUIL. VOGELII.

Tragoediam Romae plane neglectam jacuisse, una propemodum et consentiens recentiorum Criticorum [1]) est sententia, plerisque adeo certa et explorata, ut non tam, an vere ita fuerit, quam quibus ex causis ortum illud sit, quaerere soleant. Nec quaerentibus eae defuerunt, multae quidem ac variae. Non enim potuisse apud Romanos, gentem omnino non ad poesin, sed ad res civiles gerendas natam, tragoediam ad aliquam perfectionem excoli, quum eam unice e Graecis exemplaribus, vel horrida interpretatione vel servili imitatione traduxerint, argumentis non e rebus domesticis sed aliunde, e locis, temporibus atque personis a publica notitia publicoque sensu plane alienis, repetitis, quum nullam habuerint epicam poesin, nullum Homerum, cujus scilicet e fonte Graeca tragoedia promanarit; philosophiam, unde item Graeci tragici multum profecerint, aut nullam, aut Stoicam, tragoediae plane inimicam; nihil in re tragica dederint religioni, in qua tamen omnis tragoediae vis insit atque efficacia, mere spectandi libidini satisfacientes: denique non potuisse tragoediam in aliquo loco aut honore apud eum populum esse, in quo omnes, quicunque rei scenicae operam darent, infamia premerentur, cui non nisi Fescennina licentia, Atellanarum, mimorum et pantomimorum frivolae artes, omnium autem maxime immania gladiatorum ludicra placerent. Et hanc quidem gladiatorum immanitatem omnes vere tragicos sensus in animis Romanorum delevisse, nemo fere est, quin, ubi ad hunc locum ventum est, cum Lessingio conqueratur.

---

1) Laudasse hic sufficiet *Lessingium* (Laocoon. Werke B. IX. p. 10.) *Herderum* (von den Wirkungen der Dichtkunst auf die Sitten der Völker. Ursachen des gesunkenen Geschmacks. Werke T. VII. et IX.) *Jacobsium* (Nachträge zu Sulzers Theorie. I. B. 1. St. S. 6. ff. IV. B. 2. St. S. 332. ff.) F. *Schlegelium* (Geschichte der alten und neuen Litterat. I. S. 103. ff.) *Planckium* (in Disputatione de origine atque indole veteris tragoediae apud Romanos, praefixa Ennii Medeae ed. Gotting. 1807.) *Badenium*, qui singularem libellum scripsit de causis neglectae a Romanis Tragoediae. Gottingae. 1789. — Paullo clementius judicarunt *Meierotto* (über Sitten und Lebensart der Römer. I. S. 114. ff.) *Wielandius* (ad Horat. Epp. II. 1. 68.) et Guil. *Schlegelius* (über dram. Kunst und Litt. II. S. 16. ff.) nuperrime *Heinrichius* in docta, quae mihi, dum haec scribo, adfertur commentatione de Pacuvii Duloreste. Bonnae 1822. p. I.

Ex his causis si quis de re, cujus causae esse dicuntur, judicet, eam salvam adhuc esse, haud aegre sibi persuadeat; partim enim non omnino verae sunt, partim, quum nimium probare videantur, nihil probant. Ut *hoc* aliquatenus ostendam, *illud* enim in ipsa disputatione fusius docebitur, istas causas a tragicarum personarum peregrinitate, ab epicae poeseos, philosophiae, et religionis rationibus, ab histrionum infamia, a plebeculae deliciis petitas si velimus, — ne nunc de Graecis dicam, ad quos tamen ipsos quaedam ex his pertinent — ad recentiores populos, Francogallos, Hispanos, Britannos, alios transferre, de recentioris tragoediae laude, opinor, actum foret [2]). Anceps profecto est, in re, quae historicis potissimum rationibus continetur, praecipere velle, quae ejus natura esse debuerit, nisi antea plane perspectum sit, quae vere fuerit. Quid enim si quis, ut unum hoc ad nostram rem adferam, Romanae severitatis, gravitatis et simplicitatis [3]) nos admoneat, eosque inde tanto ad tragicam poesin exornandam plus quam Graecos, valuisse contendat, quanto hi fuerint ad omnem levitatem jocandique petulantiam proniores. A qua tamen opinione longe equidem absum, neque si nego, adeo multum detrahendum esse Romanae tragoediae laudi, idem contendo, tanto plus eidem addendum; modo intra dubitandi modestiam et ipsum me continere cupio, et aliis, si possim, persuadere, ut ne indicta quasi causa ream condemnent. Quanquam igitur verendum est, ne magnorum nominum auctoritatibus aut frustra, aut etiam immodeste obniti velle videar, dicendum tamen, quod sentio, quod si vel aliis probasse non contigerit, malo tamen me haberi rei, si bona sit, malum patronum, quam malae bonum.

Nemo adeo insanierit, ut contra omnem testium judiciorumque auctoritatem, repugnante ipso, si quis homini inest, pulchri et excelsi sensu, Romanos Graecorum in arte tragica praestantiam attigisse existimet, verumtamen et cavendum erit, ne Graecorum comparatio nimium luminibus Romani nominis officiat, idque certe, quod in aliis poeseos generibus per Graecos Romanis tribuere licet, in hoc quoque iisdem sine invidia et obtrectatione concedatur. Romanae tragoediae, quae hoc nomine digna sit, paucissima tantum fragmenta casu verius quam consilio servata sunt, eaque fere ita lacerata et truncata, ut „etiam periisse ruinas" cum poeta propemodum dicere liceat. Sed haud scio, an infestiore etiam casu factum sit, ut Senecae tragoediae servarentur,

---

2) Nota est v. c. insania, qua apud Hispanos et Anglos non sola plebs taurorum, gallorum, pugilum inanes et cruentas commissiones adamaverit, et adhuc adamet. Et tamen Calderonibus et Shakspeariis non fraudi fuit.

3) Horatius in hoc ipso argumento Romanum „natura sublimem et acrem" vocat. Epp. II. 1. 165. in eodem Val. Max. L. II. 4. 4. Italicam severitatem commemorat, togatarum severitatem Seneca ep. VIII. cujus exemplum videbis apud Cic. pro Sext. c. 55. Minime igitur tragoediam, sed alia scenae dedecora significat Velleius Paterculus ubi dicit: „Cassio theatrum molienti eximiam civitatis severitatem restitisse" (L. I. 15.) quippe mox Aeschylum, Sophoclem, Euripidem „divini spiritus viros" praedicaturus.

ex quibus pauci fortasse erunt, qui non deteriorem de tota poesi tragica Romanorum opinionem concipiant, conceptamque in animo haerere, et paene se inscios ad iniquiora de tragoedia Romana judicia adduci patiantur. Quod si integra aliqua Pacuvii Attiive fabula, si modo Varii Thyestes, aut Ovidii Medea superesset, mitiorem aliquanto sententiam non dubito laturos esse, qui nunc in Romanorum scena non nisi Graecorum simios, cothurnatos gladiatores, inanes causidicos, tumidos rhetores prodiisse contendunt.

Jam quoniam in animum induxi hunc locum accuratius nunc persequi, et Romanae tragoediae, quoad possim, suam laudem vindicare, statim ab initio dolendum est, praeter ipsas tragoedias et eos veterum Romanorum et recentiorum Graecorum libros, qui in scenico argumento versarentur, interiisse, quibus servatis multo plenius et rectius de omni Romanorum re tragica judicare liceret. Erant autem Varronis libri *de Poetis* ad imitationem Graecarum didascaliarum scripti (Cic. Brut. 15. Acad. I. 3. Gell. N. A. XVII. 21. cfr. Schneider. ad Brut. p. XVII. sq. et ad Scriptt. R. R. T. I. Comment. p. 288.) ejusdem *de scenicis originibus* et de *actionibus scenicis* a Censorino, Sosipatro, Prisciano, Servio laudati; erant Attii libri *didascalicon* [4]), a Gellio, Nonio, Prisciano, Charisio passim memorati (cfr. Mercerius ad Nonium s. v. redhostit.) Volcatii Sedigiti de *poetis*, (Gell. XV. 24.) Suetonii *de poetis*, et *de ludis et spectaculis* (cfr. Isid. Orig. VIII. 7. Suidas in Τράγκυλλος, Diomedes L. III. p. 489.) erat Rufii Ephesii *historia dramatica* (Phot. cod. CLXI. cfr. Jonsius de scriptt. hist. philos. p. 346.); erant alii aliorum (v. Bulengerus de theatro I. c. 5. Thes. Graev. T. IX.). Jam quum omnium horum scriptorum non nisi indices, aut paucissimae quaedam per Grammaticos servatae reliquiae ad nostram aetatem pervenerint, omnis haec disputatio fere revocanda est ad varios per vetera scripta dispersos locos, e quibus tum per se spectatis, tum inter se comparatis, qualis artis tragicae apud Romanos conditio fuerit, probabili conjectura aestimetur, idque potissimum curandum, ut haec sola testium monumentorumque fide aut certo ex eorum collatione facto judicio, meris opinationibus nusquam loco dato, innitatur. Verum ne et in hoc genere plus recepisse quam praestitisse videar, praefandum adhuc, minime id mihi consilii propositum, ut Tragoediae Romanae historiam enarrem, sed ut inde ea modo momenta referam, unde planum fiat, tragoediam a Romanis, si cum Graecis quidem comparentur, mediocri sane, sin cum aliis populis, magno studio et successu esse cultam. Qua quidem in disputatione ut multa satis nota praetereunda mihi erunt, ita

---

4) Hanc nominis formam constituit Osannus in Analectis criticis. Berol. 1816. p. 62. — Ibidem probare studuit, hujus libri auctorem non esse L. Attium poetam (qua in sententia jam praeivit Gronov. ad Gell. III. 3. 7.) sed Atteium Philologum, de quo Suet. de viris illustribus c. 10. Mihi tamen scrupulum movent praeter Nonii et Gellii locos in hanc rem corrigendos in primis ea, quae apud Cic. Brut. c. 64. de Attio leguntur, quae ab eo plane omissa miror.

nec prorsus ignota proferre potero. Sed quae jam vel satis nota sunt, ea ad consilium meum adhibere, confusa digerere, passim dissipata connectere, dubiis fidem, tenuibus auctoritatem, levibus pondus addere eo studebo diligentius, quo magis cautum ire cupio, ne nostri adolescentes — iis enim potissimum me scribere quidni statim profitear — prius aliquid contemnere quam cognoscere incipiant.

Dum contendimus, non neglectam a Romanis tragoediam, duo sunt, quae statuimus, *nec defuisse Romanis poetas, qui tragoediam laudabiliter excolerent, et ea, quae ad eandem exornandam valerent; neque alienos fuisse reliquos Romanos a tragoediae amore et studio.* De utroque igitur sermo deinceps nobis erit.

Sero quidem poesin se accepisse, Romani ipsi testantur. (Cato apud Gell. XI. 2. Cic. Tuscul. I. 2.). Illa vero Musa, quae „Poenico bello secundo pinnato gradu se bellicosam in Romuli gentem intulit“ (Gell. XXVII. 21.) non alia est, quam Graeca et in Graecornm modum conformata poesis. cfr. Horat. Epp. II. 1. 156. Nemo tamen nunc facile erit, qui credat, nullam prorsus ante illa tempora Romae fuisse poesin; eam enim jam prius in ore populi viguisse et clarorum hominum laudes complexam esse, tum luculenta veterum testimonia (Cic. Tuscul. l. l. et IV. 2. Brut. c. 19. Varro apud Non. Quint. I. 10. 20. Val. Max. II. 1. 10.) tum quaedam in Romana historia haud obscura vestigia satis declarant. Haec poeseos domestica initia serius quidem neglecta sunt magno fortasse litterarum artiumque detrimento, at nisi jam paratos quodammodo et pronos in poesin animos Romani habuissent, non licuisset extraneo homini adventiciam Musam statim in publicum producere, et vulgi oculis auribusque proponere. — Eum fuisse *Livium Andronicum* inter omnes constat. Tam certa fide id constare, ut est certissimum hujus poeseos aliunde advectae indicium, quum, quae domi nascuntur, ubique habere soleant origines obscurissimas, ita ad nostram rem id valde notabile videtur, tragicam statim poesin a Livio Romae fuisse introductam. Prima illa fabula quam a. 513. p. u. c. [5]) docuit, dubium quidem utrum tragoedia, an comoedia fuerit, at utcunque hoc rei sit, inter ipsa tamen artificiosioris Romanae poeseos primordia statim exstitisse tragoediam liquet. Quam faustis sub auspiciis inter publica sol-

---

5) Sequor rationes Osanni, qui in libro laudato p. 39. sqq. de hoc anno docte egit. Idem primam, quae Romae ederetur, fabulam comoediam fuisse ostendit, ubi vellem abstinuisset illo argumentandi genere, quo vult „Romanos deliciis comoediae fruendis assuefieri debuisse ad tragoediarum austeritatem,“ cui facile quis opponat, Romanos comicis salibus per Fescenninos, Atellanas et Satiras jam satis perfrictos opus habuisse acriori commovendi affectus stimulo. — In omnibus vero testimoniis, quae adhibet, de *scripta* fabula sermo est, neque vero mirum est, de comoedia potius quam de tragoedia in iis dici, cum de hujus originibus illi Grammatici vellent perscribere. Tanto igitur minus contemnenda sunt illa ex veteribus hausta, et ab ipso auctore p. 18. et p. 41. l. l. adlata testimonia Hieronymi et Cassiodori, quorum ille sic: „Titus Livius tragoediarum scriptor clarus habetur“ hic: „His consulibus, ludis Romanis, primum tragoedia et comoedia in scenam data.“

lemnia natam; insequenti deinceps tempore studiose ac feliciter educatam; ad magnam altitudinem et gravitatem adolevisse Romani ipsi scriptores testantur, quorum judicia audienda certe sunt, quanquam facile praevideo, fore, qui eos cupiditatis alicujus insimulent. Itaque ex iis graviora nonnulla apponere visum est. Ovidius, dum utriusque populi et cujusvis aetatis eximios poetas recenset Amor. I. XV. haec interponit:

Ennius arte carens animosique Attius oris
Casurum nullo tempore nomen habent.

Vellej. Pat. I. 17. „Nisi aspera et rudia repetas et inventi laudanda nomine, in Attio circaque eum tragoedia est.“ II. 9. „Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii atque Attii usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecta, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum Ennii.“ Saleius Bassus (Carmen in Pis. v. 226. Poet. Lat. Min. ed. Wernsdorf. IV. p. 276.) magno hercle spiritu:

Maecenas tragico quatientem pulpita gestu
Evexit Varium: Maecenas alta Thoantis [6])
Eruit, et populis ostendit nomina Graiis.

Maternus apud Tacitum de causis corr. el. c. 12. „Nec ullus Asinii aut Messalae liber tam illustris est, quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes.“ Quintilianus Inst. orat. X. p. 97. „Tragoediae scriptores veterum Attius atque Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, auctoritate personarum. Ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse. Virium tamen Attio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt. Jam Varii Thyestes cuilibet Graecorum comparari potest. Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset. Eorum quos viderim longe princeps Pomponius Secundus, quem Senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.“ Quod Quintiliani judicium tanto plus ad nostram rem ponderis habet, quo venustiores nobis illae reliquiae videntur Romanae Comoediae, in qua tamen ille mox ait, Romanos maxime claudicare, ita ut ex harum elegantia haud difficilis sit conjectura ad tragoediae, qualem ille agnoverit, praestantiam. — Similiter quas Gellius hic illic (v. c. I. 24.) tragicis Romanis laudes tribuit, graviores reddi putaverim ea, qua de comicis judicat, severitate loco admodum notabili II. 23. Neque vero dubitamus Horatium ipsum testem in nostra

---

6) Quod vulgo legitur „*Thoantis*“ sensu caret. Nihil infelicius conjectura Barthii: ulta Latinos. Wernsdorfius „alta sonantis vel sonantum“ defendit, utrumque ad Virgilium et Varium referens; equidem, donec melius quid reperiatur, praetulerim nonnullorum librorum lectionem „tonantis“ tanquam de uno Vario dictum.

re laudare, licet Romanorum ingeniorum non adeo lenem censorem [7]: Si quis autem locos illos, qui huc inprimis referendi sunt, Epp. l. II. 1. 50. sqq. 104 sqq. et ad Pisones v. 285. sqq. diligentius neque occupato jam judicio introspiciat, Horatium concedet non tam tragicos, quam comicos, et non tam recentiores quam veteres, neque tam ingenia et inveniendi sollertiam, quam dictionis negligentiam carpere voluisse. Qui meminerit talium ex illa epistola:

Nam spirat tragicum satis et feliciter audet,
Sed turpem putat in scriptis metuitque lituram.

et ex hac illorum versuum:

Nil intentatum nostri liquere poetae,
Nec minimum meruere decus vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta.

qui quas laudes ille Vario et Pollioni tribuerit, Horatium inter laudatores potius quam contemtores Romanae tragoediae referendum esse, neque vitia, quae ille in tragica poesi committi posse dicit, ut a Romanis unice tragicis [8]), quae a singulis inter eos forsan, continuo ab omnibus commissa accipiet. Ita quidem nuspiam apud Romanos domesticae tragoediae suus honos detrahitur, verum si quid in hoc genere notatur, id nisi ad singulos quosdam pertinet, aut ad nobilem illam sermonis aeruginem, qua veteres tragici delicatiori Augustei aevi sensui fastidium creabant, aut ad pantomimorum tragicorum praestigias, in quas ars tragica serius degeneravit, referendum erit.

Feracior fuit Roma tragicorum poetarum, quam multi hodie existimant. Tametsi autem hujus artis praestantiam artificum numero censeri non posse [9]) intelligam, juvat tamen nunc quam fieri potest plenissimum eorum recensum exhibere, quum hoc certe inde colligatur, multum curioseque Romanos in hoc poeseos genere versatos. Quare neque eorum nomina omittenda duxi, quorum aut nulla laus fuit, aut tenuis admodum notitia ad nos propagata est.

Post *Livium* igitur *Andronicum* [10]) primus exstitit Cn. Naevius, qui et tragoediis et comoediis, probrorum etiam in viros civitatis primarios ad Graecorum comicorum

---

7) Singulari commentatione germanice scripta de Horatio veterum Romanorum poetarum judice docte egit Manso, (Verm. Schriften. Berlin 1821.) quacum tamen conferenda, quae nuper contra disseruit Weichertus in Commentatione de Horatii Obtrectatoribus. Grimae 1821. p. 15. sqq.

8) Ita v. c. Cadmum (Horat. ad Pis. v. 187.) in anguem jam Graecus in scena mutavit. cf. Valck. Diatrib. p. 12.

9) Et hoc Romani Graecis inferiores. Tragicos Romanos vix ultra L. exstitisse, tragoedias vix ultra CCC. existimem. Parum sane ad Graecorum tragicorum copiam, quorum ex Delrii computo plus minus CXXVIII. nomina supersunt, plus bis mille tragoediae fuere. Hos numeros diligentius excutere non nunc vacat, neque opus est.

10) De hujus nomine vita, et fabulis copiose et accurate egit Osannus in Analect. Critic. Quam ibi proponit sententiam, Livianus fabulas Ciceronis aetate non amplius publice editas fuisse, locis Livii

exemplum conjectorum protervitate, nomen adeptus est. Subsecuti sunt eodem adhuc sexto saeculo Q. *Ennius*, (cfr. Q. Ennii fragmenta ab Hieron. Columna conquisita, disposita et explicata accurante Hesselio. Amst. 1707.) quem quia primus epicum carmen longioris spiritus, domestici argumenti et hexametris numeris composuisset, patrem poeseos Romanae appellare solent et qui ultra sextum saeculum vitam produxit M. *Pacuvius* poeta et pictor. (cfr. Memorie di M. Pacuvio antichissimo poeta tragico da Annibal di Leo. Napoli. 1763.).

Inclaruit deinde, qui Ciceronis adhuc aetatem attigit, Romanae tragoediae facile princeps *L. Attius.* Eodem praeterea saeculo, et ineunte octavo

M. Attilius, a quo Sophoclis Electra latine reddita. Frustra hoc nomen suspectum habuere Critici; cfr. Suet. Jul. c. 84. et quos ibi Baumgarten-Crusius laudat.

C. Titius Cic. Brut. c. 45. ubi *sine Graecis litteris* fuisse perhibetur. Significari videtu apud Frontonem ed. Med. I. p. 25.

C. Julius Caesar Strabo L. F. Cic. Brut. 48. Val. Max. III. 7, 11. Asconius ad orat. Cic. pro M. Scauro. „Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poeta admodum habitus est, hujus sunt enim tragoediae, quae inscribuntur Julii.“

C. Julius Caesar. Commemoratur a Suetonio c. 56. ejus tragoedia Oedipus ab adolescente scripta.

Quintus Tullius Cicero Marci frater. Epp. ad Quint. fratr. III. 5. 6. 9. Inde discimus illum intra XVI. dies quatuor tragoedias absolvisse. Erit igitur certe inter tragicos omnium populorum celerrimos referendus. cfr. Schol. Bobiens. ad Cic. orat. pro Archia ibiq. Mai.

Augusteo aevo tragicam poesin exornarunt:

C. Octavianus Augustus ipse, de cujus Aiace nota est e Suetonio c. 85. et Macrob. II. 4. narratiuncula, quam mirifice exornavit Joh. Lydus de mensibus ed. Schow. p. 49. sq. — Suidas et aliam fabulam *Achillem* addit.

XXVII. 37. et ipsius Ciceronis de legg. II. 15. adhuc firmare poterat. Equidem nolui pluribus nunc vitam et scripta tragicorum Romanorum enarrare, quae qui cognoscere cupit, Delrii, Scriverii, Sagittarii, Fabricii, Crusii, Eberhardti, aliorum opera consulere poterit. Multa autem in his, ut in ipsis tragoediarum fragmentis, certius, quam adhuc factum est, et rectius sunt constituenda. Exempli loco nunc indicasse juvat illam de duobus Attiis opinionem, primum ni fallor a Lilio Gyraldo prolatam, et nuper a Köpkio in commentatione de dramate Romano, quam Germanicae Plauti versioni Berol. 1809. praemisit, probatam. Accuratissime expensis utrinque rationibus persuadere mihi non potui, plures Attii nomine poetas fuisse. Ex omnibus enim, quae Baylius (Dict. s. v. Accius) ad contrariam sensentiam evincendam attulit, nihil valere mihi videtur, quam locus ille in Cic. Philipp. I. 15. — „Nisi forte Attio tum plaudi et sexagesimo post anno palmam dari, non Bruto putabatis.“ Quodsi sumatur, Tereum Attii anno p. u. c. 650. editam et tum Attium palma coronatum fuisse, et hujus loci offensionem sublatam puto.

Asinius Pollio, de cujus vita et studiis doctrinae singulari nuper opere commentatus est Thorbecke. Lugd. Bat. 1820. ubi de ejus poesi p. 125. sqq. [11]).

Pupius, Horat. Epp. I. 1. 67. De quo Scholiast. Cruquii. „Pupius tragoediographus ita movit affectus spectantium, ut eos flere compelleret;" inde distichon fecit:

Flebunt amici et bene noti mortem meam,
Nam populus in me vivo lacrimavit satis.

C. Titius Septimius, Horat. Epp. I. 3. 9. sqq. (de ejus numismate, quod reperisse sibi videbatur Begerus Thes. Brand. II. p. 589. vid. Eckhel Doctr. N. Vet. Vol. V. p. 325.)

L. Varius, cujus Thyestes laudatissima apud veteres fabula, cfr. Quintilianus loco jam supra laudato. — Varii nomine Heerkensius quidam in libro „Icones" inscripto Paris 1788. Tragoediae *Terei* particulas quasdam edidit, quibus imponi sibi passus est D. Chr. Grimmius. Scholastico enim libello, cujus haec est inscriptio: „Tragoedia Vetus Latina Tereus Deperditarum XV. Soror" cujus nuper repertae historiam et prologum tradit — D. Chr. G. Annabergae 1790. gratulatur orbi litterato hanc cultioris doctrinae accessionem, ipsiusque tragoediae prologum operose explicat. Satis nunc innotuit esse illam opus Itali Gregorii Corrarii, editamque supresso auctoris nomine jam Ven. a. 1554.

Turranius et *Gracchus*, Ovid. e Pont. IV. 16. 29. Musaque Turrani tragicis innixa cothurnis. — Cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyranni. Quo in loco dubitatur, Varus an Varius legendum sit. cf. Heinsius. — Idem, notante Heinsio, in errorem duxit Vossium Analog. I. 22. ut putaret C. Gracchum veterem illum Tiberii fratrem tragoedias scripsisse.

Ovidius Naso, qui ipse tragoedias se scripsisse testatur. Trist. II. 533. quocum non dissentit alter locus V. 7. 27. — De ejus *Medea* omnia nota. Conferri tamen possunt quae congessit Burmann. ad Anth. Lat. I. p. 128.

Post Augustum floruerunt:

Mamercus Aemilius Scaurus, Tacit. Annal. VI. 29. Atreus ejus memorata Dioni Cassio LVIII. 24. T. II. p. 896. ed. Reim.

P. Pomponius Secundus, qui saepius cum L. Pomponio Bononiensi Atellanarum scriptore confunditur. De illo vid. Lips. ad Tac. Annal. XI. 13. Maffei in Verona illustrata II. p. 13. cujus copiosam dissertationem is, qui Eberhardti librum de artium

---

11) Unum ex Asinii fabula aliqua fragmentum sibi deprehendisse videtur (p. 128.) illud nimirum apud Charisium. (Grammat. Lat. Auct. ed. Putsch. p. 77.) *veneris antistita cupras.* Pro *cupras* cum Hamakero reponit Cypriae, et ipsum versiculum ex choro a Veneris sacerdotibus cantato repetitum esse suspicatur.

humanitatis apud Romanos statu germanice vertit et edidit Altonae 1801. (Kordesius) huic libro inseruit p. 255. sqq. et multis notis erudite illustravit.

Joh. Lelandus, ut narratur apud Fabricium Bibl. Lat. III. 236. Ern. hujus Pomponii *Oresten* se invenisse somniabat. Nihildum de opere hoc antiquissimo hexametris heroicis conscripto percrebruit.

Insecuto saeculo nono:

L. Annaeus Seneca. Multum de tragoediis, quae Senecae nomine feruntur, inter viros doctos disceptatum. Alii alias inter has fabulas adtribuunt. Varias istas opiniones exposuerunt Jacobsius in Additament. ad Sulz. IV. 2. p. 359. et Klotzschius in Prolusione „de Seneca uno tragoediarum quae supersunt omnium auctore." Viteb. 1802. Unum hoc certum est, *Octaviam* non esse philosophi. Hermannus in Elem. Doctr. metr. p. 387. his tragoediis ultimam manum defuisse statuit.

Annaeus Cornutus, cfr. Reimarus ad Dion. Cass. II. p. 1025.

Persius est *Lucanus* secundum ea, quae in Suetonii vitis de iis commemorantur.

Statius, cujus tragoedia *Agave* apud Iuvenal. VII. 92.

Curiatius Maternus v. Tacit. de Oratt. c. 2. 3. 9.

Canius Rufus, Mart. III. 10.

Varro, Martialis V. 31.

Scaeva Memor, Martialis II. 10. 11. (a nonnullis is auctor Octaviae habetur, sed temere).

Tucca et *Bassus* obscuri et inepti tragici apud Mart. XII. 94. V. 53.

Paccius, *Faustus*, *Rubrenus Lappa* ejusdem notae apud Juvenal. Sat. VII.

Incertae plane aetatis est *Rutilius Geminus.* Scripsit tragoediam Astyanacta, cujus mentio est apud Fulgentium in Expositione Verborum s. v. suggrundaria ed Muncker. p. 771.

Jam Tragica Musa fere obticuit. Nullum enim, quod sciam ante Sidonium Apollinarem, qui quinto post Christum natum saeculo vixit, tragici, neque ullius tragoediae novae nomen reperitur. Sed Apollinaris laudat *Lampridium* quendam rhetorem Burdigalensem vago, ut solet, praeconio Epp. VIII. 11. — „Et nunc epos inflat tragoediarum." — In hunc Lampridium desinit, ni fallor, Rom. tragicorum notitia. De tragoediis autem posteris his saeculis per ludorum sollemnitatem editis v. Petrus Er. Müller in Commentatione historica de genio, moribus et luxu aevi Theodosiani P. II. p. 134. sqq.

Jam plures sunt, qui an tragici poetae recte habeantur, dubium est, quorum nomina adnotanda putavi haec:

Laevius, cujus Erotopaegnia aliique lusus celebrantur, refertur a nonnullis inter tragicos unice propterea, quod *Alcestis* ejus nomine laudatur apud Gell. XIX. 7.

At ex ipso Gellio satis elucet, hoc carmen a tragica severitate plane alienum fuisse [12].

Crispinus. Hujus obscurissimum vestigium apud Fulgentium s. v. *antistare.* „Crispinus Heraclea.“

M. Terentius Varro. Tragicos quidem sectatus est in Satiris, quod earum vel indices et clarius etiam fragmenta docent; veram eum tragoediam scripsisse, nullo satis certo testimonio constat.

Graius in Peliadibus apud Non. v. cardo, sed lectio incerta, fortasse Gracchus.

Lucius apud Macrob. Sat. II. 4. „gravis tragoediarum scriptor.“ Hoc nomen varie tentatum v. Heinsium ad Ovid. ex P. IV. 16. 30. Miratur Wielandius, (ad Horat. Epp. II. p. 106.) quomodo viri docti ad alium quempiam, quam ad L. Varium referre potuerint. Sed tunc pro *gravis* restituendum erit *Varius.*

Ilius in Theutrante apud eundem VI. 4. forsitan legendum *Julius*, quod jam Scriverio placuit. Hoc enim nomine edidit tragoedias Julius Caesar Strabo, ut ex Asconii loco iam laudato p. 7. discimus.

Aristius Fuscus, Horat. Od. I. 22. Sat. I. 9. 61. Epp. I. 10. Ad hanc Acron eum scriptorem tragoediarum, Porphyrion scriptorem comoediarum, Schol. Cruq. Grammaticum vocat. Patet, quam levi filo pendeat Aristii tragici nomen.

Cassius Parmensis. Ad Horat. Epp. I. 4. 3. est scholion Acronis: „Hic aliquot generibus stilum exercuit. Inter quae opera elegiaca et epigrammata ejus laudantur. Hic est, qui in partibus Cassii et Bruti tribunus mil. militavit, quibus victis Athenas se contulit. Q. Varius ab Augusto missus ut eum interficeret, studentem reperit, et peremto eo scrinium cum libris tulit. Unde multi crediderunt Thyesten Cassii Parmensis fuisse. Scripserat enim multas tragoedias.“ Et Schol. Cruq. ad Sat. I. 10. 61. „Parmensis is, quia de Parma fuit, quae est Etruriae civitas, cujus tragoedia Thyestes exstat.“ Vehementer indignatur Wielandius (ad Epp. l. l.) quod Baxterus et Gesnerus hanc contumeliam Vario, optimo homini, allatam nihil monito lectore suis in Horatium notis inseruerint. Jam Ruhnkenius manes Varii placaturus suspicatus est (ad Vell. II. 8. 6.), totam fabulam de Cassio per Varium interfecto ex perpetua nominum *Varius* et *Varus* confusione fluxisse. Neque

---

12) Quod Mercerus in Non. p. 161. 16. *Laevius* pro *Naevius* legendum suspicatur, haud improbandum; audacius vero Osannus apud Fulgent. v. *Friguttire* pro *Ennii* nomine *Laevii* reponit, neque vero video, quo jure ibidem negaverit, Ennium comoedias scripsisse. — Nuspiam fere molestius, quam in his tragicis perpetua nominum v. c. Livii, Laevii, Naevii, Novii, et aliorum confusio accidit. Videant mecum Critici, an hanc saltem legem constituere liceat, ubi de hexametris versibus sermo sit, non *Livii*, ubi de tragicis neque *Novii*, neque *Laevii* nomen poni licere, nisi ipsum jam scriptorem errasse putes.

tamen ideo plane reiiciendum puto, quod Scholiastae tradiderunt, Cassium illum tragoedias scripsisse.

Virgilius. Eandem Thyesten, quam Varius Cassio extorsisse dicitur, secundum aliud Grammaticorum commentum a Virgilio accepit et pro sua vendidit. Taedet harum ineptiarum, quas cognoscas ex Heynii notis ad Donati Vitam Virg. G. 21 30. Ex Martialis epigrammate VIII. 18. a Scriverio jam in hanc rem laudato satis intelligitur, Virgilium tragicam poesin non attigisse. Unde ista opinio nata videatur, infra ostendemus.

Maecenas, quod hic tragicis accensetur v. c. a Passovio (Grundzüge der Griech. und Röm. Litteraturgesch. S. 79.), acceptum, opinor, refert nonnisi inscriptionibus libellorum a se editorum, quorum alter *Prometheus* (apud Senec. Ep. 19.), alter *Octavia* apud Priscian. L. X. c. 8. T. I. p. 505. ed. Krehl. Verum quum Seneca Prometheum librum appellet, non fabulam, apud Priscianum autem vel lectio incerta sit (cfr. Krehlius ad l. l. qui indice sub v. Maecenas „in *octavo*" legendum putat) quum fragmentum ex hoc ipso libro decerptum galliambos magis quam tragoediam spiret, Maecenatem ingenio, moribus ac stilo plane enervem (v. Spalding ad Quint. IX. 4. 281.) ex tragicorum choro excludendum esse vix adhuc dubitabitur.

Aelium Lamiam, *Antonium Rufum*, *Cn. Melissum*, *Afranium*, *Africanum*, *Pomponium* praetextatas et togatas scripsisse auctor est Schol. Cruquii ad Horat. Ep. ad Pisones v. 288. Sunt haec admodum ambigua, neque nunc singula excutere lubet. De *Rufo* quaedam sed dubitanter Osannus Analect. p. 150. Nullus eorum est, quem praetextatas, i. e. tragoedias ad morem Romanum compositas scripsisse certo possis affirmare.

Surdinus, „ingeniosus audit adolescens apud Senec. Suas. VII. a quo Graecorum fabulae eleganter in Latinum sermonem conversae sint." Incertum autem, tragoediae an comoediae.

Postremo et Imperatores *Nero*, *Titus* et *L. Annius Verus* tragicorum poetarum numerum auxisse nonnulli opinantur. De Nerone fortasse minus dubites, si comparaveris ea, quae de Neronis poesi studiose congessit Reimarus ad Dion. Cass. II. p. 1025. Titus, si tamen est fides Eutropio VII. 14. certe Graece tantum scripsit. L. Annium Verum quod Aurelius Victor Epit. c. 16. carminum maxime tragicorum studiosum appellat, nondum inducere debebat Delrium, ut eum tragoedias factitavisse suspicaretur [13]).

---

13) Manifesto quidam errore in tragicorum numerum irrepsere. *Sulpicium* tribun. pl. quem Delrius receperat, expulit jam Scriverius. Idem in *Trabea* facere debebat, quem, quoniam ad Taciti testimonium Delrius provocat, nominum Trabeae et Thraseae confusione in hunc ordinem relatum suspicor. — Q. *Lutatium Catulum* Passovius (Grundzüge p. 79.) inter tragicos recenset. Intelligendus sine dubio is, qui a. 651. consul fuit, de quo Cic. Brut. c. 35. aliique. Eum poemata

Hoc recensu non quidem omnes, quos Romani tragicos habuerint, comprehendi existimo, verum neque aliquem praeterea exstitisse, qui singulari laude floruerit. Id Quintiliani potissimum auctoritate conficitur, qui cum prioris aetatis et suae tragicos poetas, Pacuvium, Attium, Varium, Ovidium et Pomponium Secundum ut classicos ex reliquorum numero excerpit, satis significat, in horum laude ac meritis summam tragoediae Romanae praestantiam contineri. Post eum autem ipsa ars vilior magis magisque et facta et habita.

Fabularum *argumenta* paene omnia Graecae fuisse originis, tum testimonia veterum, tum ipsarum fabularum nomina et fragmenta demonstrant. Quidquid igitur admirationis habent heroicae illae virtutes in rebus Argonauticis, Thebanis, Troianis conspicuae, quicquid horroris clades per Labdacidarum et Pelopidarum gentes grassatae, Romana quoque scena retulit. Neque vero perspicio quid in hac re tantopere a Romanis peccatum sit. Sunt ista peregrina. Verum haec a tragica poesi excludenda, nulla nisi domestica sectanda quis contenderit? Recte hoc fortasse dicatur, si de epica poesi, cui nec vitam nec vim inesse crediderim, nisi eam ex patria humo traxerit, non item de tragica. Jam cum Romani illa ad scenicam gravitatem et tragicos affectus ciendos conformata reperissent, neque mirum est, neque multum reprehendendum, quod haec sua facere, quam nova plane experiri mallent, secuti in hoc genere magnorum etiam pingendi fingendique artificum exemplum, qui non adeo in novis insolitisque formis atque argumentis inveniendis, quam in pristinis ad novam pulchritudinem excolendis laborarunt. Aliter nec facturos fuisse ipsos Graecos putemus, si modo Graecos, quos sequerentur, habuissent. Illa vero argumenta errant sane, qui adeo ignota Romanis et aliena existiment, neque veteris illius ac frequentis commercii meminerint, quod quum inter alios populos graeca arte ac disciplina expolitos, tum inter Etruscos fuit, unde, ut omnia fere ludicra ipsosque histriones [14]), ita et tragicas fabulas satis mature accepere. Etrusci enim, quos nonnulli

---

fecisse ex Plinio (Epp. V. 3.) et ex Gellio (XIX. 9.) constat. Verum tragicum eum fuisse, non aliunde puto confictum quam ex loco Ciceronis false intellecto (Academ. II. 28.) ubi „Alcmaeon tuus" non est Catuli sed Ennii, cui nescio an accesserit alius pro Sext. c. 57. Neque vero ille inter mimographos latinos referendus, quod idem fecit Passovius p. 83. Juvenalis, opinor, loco (Sat. XIII. 111.) inductus, ubi Catullus alius plane a Catulo et a Catullo Veronensi mimorum poeta commemoratur. Inter eosdem, ut hoc in transcursu moneam, nec *Philistio Nicaenus* referendus, quippe qui graece scripsit. Multo minus autem inter tragicos locum habet *Diphilus*, is enim tragoedus, (Cic. epp. ad Atticum. II. 19.) non tragicus.

14) Inde accepere pugiles Liv. I. 31. gladiatores Liv. ep. XVI. Val. Max. II. 4. 7. cfr. Nicolaus Damascenus apud Athen. IV. 13. triumphos cum choris citharistarum et Satyrorum Appian. L. VII. c. 66. histriones Liv. VII. 2. quod ipsum vocabulum Tuscae est originis: cfr. Micali l'Italia etc. I. p. 197. II. p. 93.

Italiae antiquae Athenienses sicut Sabinos ejusdem Spartanos haud inepte vocarunt [15], in tragicis illis actionibus varie effingendis inprimis videntur sibi placuisse. Declarant hoc, ut uno modo documento defungar, imagines in cistis eorum sepulcralibus relatae, in quibus funestos illos, quos graeca tragoedia exornavit, Persei ac Thesei et e rebus Thebanis, Trojanis et Agamemnonia domo repetitos casus crebro conspicias. v. Micali l'Italia avanti il Dominio de' Romani. II. 95. sqq. Uhden über die Todtenkisten der alten Etrusker (Abhandl. der hist. phil. Classe der Königl. Preuss. Acad. d. W. Berlin 1819. S. 25. ff.) Creuzer Symbolik II. S. 851. ff. Quin et Tuscarum Tragoediarum scriptor est apud Varronem de L. L. L. IV. T. I. p. 12. Ed. bip. „omnia haec vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragoedias Tuscas scripsit, dicebat;" quanquam dubitatum est de patria et de aetate ejus [16].

Quo igitur tempore Graeca ars Romae introducta est, jam paene cessit illa antiqui Latii superstitio Graecorum laetioribus et luculentioribus religionibus, ut nequaquam aliena eorum mythologia censenda sit, quibuscum Romani communes fere deos et communia sacra habuerunt. Accessit, quod jam tum Romani sive ex monumentorum fide, sive credulitate quadam et ambitione ducti multa ex suis ad Graecas origines referre coeperunt, id quod quum aliunde tum e numis inprimis familiarum v. c. Maniliae, Sergiae, Memmiae, Antoniae, Aciliae etc. constat. cfr. Eckhel. Doctr. Num. Vol. V. p. 88. Quare quum humanitas et poesis, quum religio et antiquae memoriae sanctitas illa argumenta satis jam commendassent, haud absurde faciebant poetae latini, quod posthabitis ineptis et horridis suis fabellis Graecorum pulcherrima inventa cum popularibus comunicarent, tanto plus apud audientes pondus habitura, quo ingeniosius jam essent exculta et ad intimos humanitatis sensus excitandos efficacius. Quod si Romanis adeo peregrinorum argumentorum usum exprobraverimus, quotam tandem nostratium fabularum dignam cothurno habebimus?

Quaerat tamen quispiam, et vere jam quaesitum est, quomodo acciderit, ut Romani non magnos, quos olim Roma habuisset, viros in scenam produxerint. Inesse enim historiis Romanis multa, quae tragica vi et gravitate minime destituantur, praesertim quum in antiquiore certe historia exornandi fingendique industria liberius vagata sit. Observatum jam est, Livium in pluribus tragicum verius quam historicum agere, idque aptius etiam de Tacito dici potest. Verum id neutiquam locum haberet, nisi materies suppetebat tragicae severitatis et gravitatis capax. Et quid pluribus opus? Nonne innu-

---

15) Lanzi Saggio V. II. p. 589.

16) Alii pro Romano habent (v. Falster Memoriae Obscurae p. 123. Niebuhr Röm. Gesch. I. S. 88.) alii pro Etrusco (Schlegel. Heidelberg. Jahrbücher 1816. p. 860.) Varronis aequalem et jure quidem, ut videtur, Niebuhrius et Schlegelius ll. ll. et Lanzius Saggio Vol. II. p. 187. Micalius autem aetatis incertae. l. l. II. p. 210.

merabiles paene fabulae et inter eas praestantissimae; veluti quas Shakespearius et dissimulata modo aliquantum Romana origine Lessingius composuerunt, ex Romanarum historiarum fonte deductae sunt. Veram causam historiae Romanae a tragica scena ab ipsis Romanis exclusae inde repetendam censuit *Fr. Schlegelius*, quod, quae in antiqua domestica fama continerentur, si in scenam producta fuissent, non potuerint quin in civium animis partium et factionum studio distractis vehementiores et infestiores sensus excitarent, quam quos publicae tranquillitatis ratio admitteret. Coriolanum contra plebeios insurgentem non potuisse Gracchi aetate, exsulantem non Sertorio exsule, Romam victricibus armis petentem non Sullae tempore impune potuisse prodi, nullum praeterea grande facinus, quin perpetui inter patricios et plebeios odii ac dissidii flamma resuscitaretur, multo minus Brutum aliosque veterum Romanorum aetati Augusti convenisse [17]. Ea, ut satis speciosa, ita non omnino vera arbitror. Primum enim Romani poetae nonnunquam ex domesticis sane factis argumenta repetiere. Commemorantur ex hoc genere Pacuvii *Paullus* (ut videtur L. Aemilius Paullus Macedonicus) Attii *Brutus* et *Decius* s. *Aeneadae*, Curiatii Materni *Cato, Domitius, Nero.* Senecae nomine exstat *Octavia;* apud Diomed. p. 487. *Marcellus* fabula auctoris nomine non addito. De his diligenter et copiose Kordesius ad Eberhardti libellum p. 55. sqq. [18]. Quibus exemplis vix opus erat in luculento Horatii (ad Pis. v. 288. sq.) testimonio, ad quod conferendus Schol. Cruq. Hinc Evanthius de tragoed. scribere potuit: „Praetextatas ab dignitate personarum et Latina historia — omnis Comoedia de fictis est argumentis, Tragoedia saepe ab historica fide petitur.“ — Non nunc quaeram, quo successu ausi illi sint, graeca vestigia deserere et domestica facta celebrare; multo minus praestiterim, has fabulas illam quam A. Guil. Schlegelius docto acumine sibi finxit tragoediae vere Romanae speciem [19], vere retulisse, at per easdem statum reipublicae nunquam fuisse

---

17) Geschichte der Litterat. I. S. 105. ubi inter alia haec: das in diesen Sagen sich aussprechende patriotische Gefühl stand der Gegenwart für die dramatische Darstellung zu nahe.

18) At quum (p. 66.) dicit probabiliter statui, Asinium Pollionem ex civilibus bellis suarum tragoediarum argumenta hausisse, magnopere errat, crassius vero, quum Asconii Pediani locum supra jam laudatum, qui est de Jul. Caesare Strabone, sic accipit (p. 65.) quasi is *Julios* nescio quos in scenam produxerit. Caeterum fabulis e Romano argumento constitutis addi poterat praetexta a Balbo quaestore data et ab Asinio Pollione in Cic. epp. ad Fam. X. 32. commemorata; et quae apud Suet. de vita Persii. (ed. Wolf. III. p. 62.) Persii praetexta *Vescio*, incerto satis nomine, refertur. Ennii autem *Scipionem* cum aliis falso huc retulit Planckius de Medea p. 32. neque Naevii *Romulum* cum Signorellio (Storia Critica de' teatri II. p. 21.) praetextatis adnumerandam puto. Nam quae inde a Varrone de L. L. p. 92. ed. Bip. laudantur, suspicionem comoediae potius vel satirae faciunt.

19) „Mir schwebt das Ideal einer ursprünglich römischen Tragoedie vor, dunkel freylich, im Hintergrunde der Zeiten, wie man ein Wesen erkennen mag, das aus dem Schoosse des Möglichen nie zur Wirklichkeit geboren worden. Sie hätte von der griechischen an Bedeutung und Gestalt durchaus

perturbatum, in tam alto veterum auctorum silentio pro certo haberi potest. Si parcius tamen Romanas res attigerunt, et omnino ab historicis argumentis, undecunque derivatis abstinuerunt, Graecorum itidem secuti sunt exemplum et praeceptum, qui quod est in Platonis Phaedone, *μύθους ἀλλ' οὐ λόγους ποιεῖν* ut cujusvis poetae ita tragici esse censebant. cfr. Hermann ad Arist. Poet. p. 86. sq. In eandem ferme sententiam Petronius c. 118. „Non res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt." Quo consilio id Graeci et quam sapienti factitaverint, tam erudite et subtiliter exposuit A. Guil. Schlegelius in opere laudatissimo (I. p. 118. sqq.) ut qui hunc locum retractare velit, operam mihi ludere videatur. Apud Romanos vero, quod largiendum sane est, id plus offensionis habiturum erat, quo majori omnia, quaecunque ad rempublicam pertinerent, agerentur cum gravitate. Noluerint igitur scenae committi, quae publice quondam in senatu, in concionibus, comitiis, castris essent acta, neque per fingendi libidinem artesque theatrales ea traduci, quibus Romanae magnitudinis fides inniteretur. Hinc Cicero in senatu quum dicit, mentionem poetarum et histrionum a se factam excusat, velut pro Sextio c. 55. hinc Valerius Max. quanquam is subabsurde „Magno spatio divisus est a senatu ad poetam Attium transitus III. 7. 1. Accessit fortasse et illud, quod quas in atriis haberent majorum imagines summi nimirum honoris insignia et pignora, et sollemnes illas personatorum in funeribus pompas, quibus maiestas quaedam ac sanctitas inesset [20]), in scenicarum personarum et actionum aemulationem venire nollent.

Jam vero non modo argumenta sed et ipsam tragoediarum conformationem Latinos a Graecis mutuatos esse, in universum negari nequit. Neque vero, quum

---

verschieden, und im altrömischen Sinne religiös und patriotisch seyn müssen. Alle wahrhaft schöpferische Poesie kann nur aus dem innern Leben eines Volkes und aus der Wurzel dieses Lebens, der Religion hervorgehen. Der Geist der römischen Religion war aber ursprünglich, ehe sie nach Einbusse des Gehalts die Oberfläche nach fremder Sitte ausschmückten, ein ganz andrer als der Geist der griechischen. Diese war künstlerisch bildsam, jene priesterlich unwandelbar. Der römische Glaube und die darauf gegründeten Gebräuche waren ernster, sittlicher, frommer, naturdurchschauender, magischer und geheimnissvoller, als wenigstens derjenige Theil der griechischen Religion, der ausserhalb der Mysterien gelehrt ward. Wie die griechische Tragoedie den Kampf des freyen Menschen mit dem Schicksal darstellt, so hätte der Sinn einer römischen die Unterwerfung der menschlichen Triebe unter die heiligende, bindende Gewalt, religio, und deren offenbarte Allgegenwart in allen irdischen Dingen seyn müssen." Vorles. über dram. Kunst. II. 20. quibuscum admodum consentit Creuzer. Symb. III. 995. Nonne vero, si tamen scriptoris mentem recte percepi, e magicis illius superstitionibus fabula exstitura fuisset, ejus quam nostrates Operam appellare solent, quam tragoediae nomine dignior?

20) Hos ritus omnium nunc accuratissime explicuit Eichstadius de imaginibus Romanorum. Petrop. 1806. Imagines diebus festis in publicum adspectum expromtas fuisse docet l. l. p. 63. Eadem autem machinatione, qua dii in theatris ostenderentur, hoc factum fuisse nescio an colligi possit ex Ausoniano illo „Atriorum pegmata" (Ep. XXV. 9.) quorum usus in theatris frequentatus est v. Lips. de amphith. c. XXII. Böttiger. „Deus ex machina." Vim. 1800. p. VII.

multum habeat haec imitatio vel excusationis vel laudis, malignius dissimulandum est, praesertim quum non adeo servili, qualem vulgo dictitant, modo factam eam arbitremur. Primum enim vel hoc inter laudes ponendum quod illi tragoediae Romanae principes non Alexandrinorum poetarum male ingeniosas artes [21]), id quod sane factum in epico genere merito dolemus, sed optimorum poetarum Aeschyli, Sophoclis, Euripidis exemplaria sibi imitanda, eorumque opera in Romanorum notitiam perducenda censerent. Posteaquam igitur in ipsa Graecia et inter Graece loquentes jam haec ars consenuerat, denuo Romae quasi enata, ex matre pulchriore quidem pulchra tamen filia, et inter ipsos Graecos per Grammaticorum difficiles ineptias in contemtum quendam et humilitatem dejecta, ad pristinos jam se sustulit heroas, priscamque lucem Alexandrinorum grammaticorum verius quam poetarum putida diligentia obscuratam recuperavit. Quatenus illi imitando processerint, et quam propriam sibi laudem in hac arte vindicaverint, si vel plures Graecae tragoediae adhuc ex iis superessent, ad quarum exemplum Latini suas attemperarunt, tamen in miserando harum omnium interitu non integrum nobis foret judicare. Plura tamen eos non modo in verbis sed etiam in re audacter novasse et haud infeliciter, tum per se, quae fuerunt praestantissima illorum et acerrima ingenia, credere licet, tum fragmenta, et si qua Romanis in sua re testibus fides, horum testimonia declarant. Cic. Acad. I. 3. „an quia delectat Ennius, Pacuvius, Attius, multi alii, qui non verba sed vim Graecorum expresserunt poetarum“ praeterea v. de nat. deorum II. 56. Tuscul. II. 20. Gell. XI. 3. etc. cfr. interprett. ad Horat. Sat. II. 3. 60. Scaliger ad Varron. LL. II. p. 139. et 145. ed. Bip. Heinrich. de Pacuvii Duloreste p. V. sqq. Qui vero praetextatas scripsere, eos plurima certe sibi solis debuisse liquet; plurima, inquam; poterant enim vel in his quaedam e Graecorum thesauris depromere, quod de togatis certe L. Afranii testatum reliquit Macrob. Sat. VI. 1. p. 152. ed. Bip.

In metris autem Graecorum imitandis et effingendis potiusne id vituperabimus quod, repugnante nimirum lingua, ingenii verborumque asperitate non omnino Grae-

---

21) De *Pleiade*, quae dicitur, *Tragicorum* docta est disputatio Naeckii in Schedis Criticis. Halae 1812. Ut ei demus, quod p. 29. scribit, illos poetas (Alexandrinos) injusta judicia expertos esse et etiamnum experiri, nihil tamen, quando de tragicis agitur, sibi dari ipse volet, quam eos hic illic quaedam protulisse „optimo ex florentissima aetate tragico non indigna.“ Neque vero plus illis tribuit, cujus doctrinam, summamque in judicando subtilitatem ac moderationem ea, quae omnes decet, observantia, et, quae discipulum, pietate colo, Beckius de philologia saeculi Ptolemaeorum p. XIX. Rarissime autem, ni fallor, apud veteres certe tragicos latinos Alexandrinorum vestigia fuerunt, qualia quaedam in Attii *Phinidis* sibi deprehendisse visus est Scaliger ad Varronem L. V. (T. II. p. 143. ed. Bip.); quod si locum Ciceronis Tusc. III. 19. ubi de *cantoribus Euphorionis* sermo est, recte, quod puto, explicuit Salmasius ad Solinum p. 601. add. Toup. in Ep. Crit. p. 132. ed. Lips. inter illos tragicos poetas et Alexandrinos summa fuit dissimilitudo, inter utrorumque admiratores summa dissensio.

corum admirabilem copiam, vim et facilitatem consecuti sint, an laudabimus, quod spreto suo Saturnio versu, quem tamen popularibus auribus satis jucundum fore videbant, in altius quiddam ingenti opere enisi non modo trimetros et trochaicos, sed melicos etiam numeros, creticos, bacchiacos, anapaesticos, choriambicos, glyconeos composuerunt, quin nova in his quaedam, nec sine arte ac cautione, (v. Hermann. Elem. Doctrin. Metr. p. 90. 158.) instaurarunt. Si ista omnia Graecos comparanti pauciora tamen et horridiora videantur, cogitet, partim, deperditis tragoediis, non omnino de poetarum in hoc genere meritis judicari posse, partim illos poetas non laborem in numeris fingendis subterfugientes, verum rei novitate impeditos, linguae duritie et contumacia quadam interclusos, quin ipsa prosodiae latinae licentia intra arctiores numerorum limites coercitos Graecis cedere debuisse. Magnam autem hic quoque veteribus tragicis injuriam faciunt, qui metrici eorum artificii laudem Senecae versibus metiantur.

Duas autem quasi aetates tragicorum apud Romanos constituendas esse, sponte se offert, alteram antiquiorem Ennii, Pacuvii, Attii, alteram recentiorem Varii, Ovidii, Pomponii. Satis autem hae inter se diversae fuerunt; in antiquiore enim tragoedia rudior gravitas, in recentiore doctior elegantia, in numeris etiam conspicua (Bentl. in Horat. A. P. 260.), illa populo, haec eruditis magis placuit, illa in theatris, haec in consessibus hominum politiorum frequentata. Vix autem dubium, quin antiquiores illi tragici, si quae habuerunt vitia, ea tam magnis virtutibus redemerint, ut in eorum tragoediis deperditis graviorem, quam in recentioribus jacturam fecisse videamur. In animum modo revocet aliquis talia, qualia illa Ennii (Cic. Tuscul. I. 16.):

Adsum atque advenio Acherunte vix via alta atque ardua
Per speluncas saxis structas asperis pendentibus etc.

aut Pacuvii (Cic. de orat. III. 39. de Divinat. I. 14.):

Interea prope jam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur etc.

et (apud Non. v. Matrescam):

Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem
Ulcisci queam.

aut Attii (apud Varronem I. p. 82. ed. Bip. Cic. Tuscul. II. 10. cfr. Hermann. Elem. D. M. p. 387.):

Lemnia praesto
Littora iamiam et celsa Cabirum
Delubra tenes mysteriaque
Pristina castis concepta sacris etc.

et quae ille pastor, qui navem nunquam ante vidisset, (Cic. de nat. deorum. II. 35.)

Tanta moles labitur
Fremebunda ex alto ingenti sonitu et spiritu.
Prae se undas volvit: vortices vi suscitat etc.

aut etiam illa Pacuvii (apud Gell. II. 26.):

Cedo tamen pedem lymphis flavis flavum ut pulverem
Manibus isdem, quibus Ulyssi saepe permulsi, abluam;
Lassitudinemque minuam manuum mollitudine.

et Attii (apud Non. v. Dulcitas):

O suavem linguae sonitum, o dulcitas
Conspirantis animae.

Sentiet profecto, in sententiarum gravitate verborumque simplicitate et in ipsius orationis tenore ac spiritu mirificam quandam ad affectus movendos vim inesse, plenam Romanae majestatis, ab omni servilis imitationis dedecore alienam [22]). Neque vero id solum veteres tragicos aut egisse, aut valuisse, recte statuitur, ut audientibus metum ac terrorem incuterent, qua opinione inter contemtores Romanae tragoediae nihil vulgatius. Nihil videlicet, quod molle esset ac tenerum, ex Graeca tragoedia adsciverunt, nihil reliquiae istae continent, quod placidiores sensus spiret, nihil prorsus ista valent, quae multis veterum locis relata legimus, v. c. apud Cic. de orat. II. 47: „At idem inflexa ad miserabilem sonum voce,

Quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, extinxsti; neque fratris necis
Neque gnati ejus parvi, qui tibi in tutelam est traditus?

flens ac lugens dicere videbatur. Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen agere sine dolore non poterat: quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse?“ et Tuscul. III. 19. ubi laudatis pluribus Ennianis versibus, „o poetam, ait, „egregium! quanquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.“ Exaggeratis igitur regis opibus, quae videbantur sempiternae fore, quid adjungit?

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari,
Jovis aram sanguine turpari.

---

22) Dignum Attii grandiloquentia versum illum:
Veter fatorum terminus sic jusserat
appellat Hermannus ad Hecub. p. 132; quos ex Prometheo ejusdem poetae servavit Cicero versus Tuscul. II. 9.
Titanum soboles socia nostri sanguinis etc.
Aeschylo nulla ex parte indignos censet Schlegel. Vorl. II. p. 17. Neque Sophocle indignos habuerim illos ex Trachiniis Tusc. II. 8. cfr. Scaliger in Varron. de L. L. II. p. 230. ed. Bip.

Praeclarum carmen: est enim et rebus et verbis et modis lugubre." cfr. Tuscul. I. 35. de Divinat. I. 31.

Hanc priscae tragoediae vim et dignitatem credibile est jam sub Augusto, statu reipublicae everso, abolita dicendi libertate, aliquanto imminutam et comta Augustei aevi elegantia repressos esse illos divinioris aurae spiritus. Postea morum indies ingravescens depravatio, oratoriae artis et Stoicae philosophiae declamatoria affectatio, fatalis ipsa denique necessitas, quae nihil in alto aliquo fastigio consistere patitur, omnem artem vertere in pejus coepit.

Romanis autem, ut eo, quem institui, ordine pergam, neque reliqua defuere, quibus artis tragicae cultus atque honor censeri solet. Accessere primum *actores* quos tragicus non dedecuit cothurnus. Eandem fere laudem, quam inter veteres Pacuvius Attiusque a poesi tragica retulerunt, in actione tragica adepti sunt *Aesopus* et *Roscius*, quorum nomina adeo celebrata sunt, ut iis aliquid laudis addere non opus sit. Verum et aliorum nomina scriptis sunt servata. Ut non adferam, qui poetarum et actorum junctis vicibus uterentur, v. c. Livium ipsum Andronicum Val. Max. II. 4. 4. [23]) tragicorum actorum, quae adhuc in vett. scriptis reperiri licuit, nomina adscribam. *Minutius* et *Protimus* (all. *Prothonius*) apud Donat. de Com. et Trag. primi dicuntur personati egisse. Quod ne Diomedi, qui perhibet (L. III. 486. ed. Putsch.), personis primum uti coepisse Roscium, adversetur, cum Reuvensio (Collect. Litt. Lugdun. Bat. 1815. p. 14.) statuo illos primos fuisse, qui personis perpetuo uterentur, Roscium autem antea nonnisi tum usum, quum consultius videretur. — *Rupilius* apud Cic. de off. I. 31. *Diphilus* epp. ad Att. II. 19. *Antiphon* ibid. IV. 15. [24]), *Fusius* et *Catienus* apud Horat. Sat. II. 3. 60. *Glycon* apud Pers. V. 9. *Virgilius* apud Schol. ad h. l. *Apollinaris* sub Vespasiano Suet. c. 19. Plura nomina dabunt inscriptiones. — Feminis, quas inter mimos (cfr. Cic. ad Att. IV. 18. pro Rosc. Com. 8. Horat. Sat. I. 10. 76. Juvenal. VI. 65. sqq.) inter cantatores (Senec. ep. 84. Macrob. Sat. L. I. praefat. etc.) quin inter gladiatores (cfr. interprett. ad Tac. Annal. XV. 32. Juvenal. I. 23. VI. 246. Reimarus ad Dion. Cass. l. LXI. 122.) partes egisse compertum habemus, nunquam locus in tragica scena datus est. Huic enim negotio, opinor, et voce, et forma, et vero etiam ingenio impares habebantur. Ac ne extremis quidem scenae Romanae temporibus admissas fuisse mulieres, pro-

---

23) Addendus his esset, ut et tragicis poetis, *Lupus* quidam ex Ovid. Epp. ex P. IV. 16. 26. nisi lectio *actor* merito ibi esset damnata.

24) In hunc locum, ubi verba leguntur vulgo sic: „in Andromacha tamen major fuit Astya," intulerunt interpretes, inter quos miror etiam Schützium esse, tragoedum aliquem *Astyan*, s. *Astyanactem*. Nihil vero ex mea sententia certius, quam legendum: In Andromacha tamen major fuit Astyanacte i. e. Antiphon adeo pusilius fuit, ut Andromachen agens proceritate excederet Astyanactem, in aliis tragoediis reliquis histrionibus omnibus cederet.

babiliter colligas ex Cypriani epp. L. I. 10. ubi in histrionem invehitur docentem, „quemadmodum masculus frangatur in feminam, et sexus arte mutetur, et diabolo divinum plasma mutanti per corrupti atque enervati corporis delicta placeatur."

Ex iis autem quae passim de tragicis actoribus, inprimis de Roscio, narrantur, intelligitur, eos incredibilem operam in arte sua excolenda posuisse, eandemque ad summam perfectionem adduxisse. Constat enim, eos scholas quasdam aperuisse, et in disciplinam recepisse, qui histrionicae operam dare vellent. Id et jam antiquitus factum cfr. Macrob. Sat. III. 8. et a Roscio, de quo Cicero pro Rosc. com. 10: „Panurgum non solum domum recepit, sed etiam summo cum labore, stomacho miseriaque erudiit" [25]) cfr. de orat. I. 28. Jam cum inter oratores et histriones perpetua fuerit aemulatio (Cic. de Orat. I. 59. Quint. X. c. 3. Macrob. Sat. II. 10. etc.), sciamus autem, quanto studio in actione oratoria illi versati sint, haud minori hos in sua elaborasse credibile est. Huic rei per se jam satis certae novum nunc accessit testimonium in fragmentis Frontonis de orationibus ed. Med. II. p. 253. „Tragicus Aesopus fertur non prius ullam suo induisse capiti personam, antequam diu ex adverso contemplaretur pro personae vultu gestum sibi capessere ac vocem [26])." In voce corroboranda mirum quantum desudarunt. Nota res vel e Cicerone de Orat. I. 59. „Tragoedorum more, qui et annos complures sedentes declamitant, et quotidie ante quam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant, eandemque, quum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt et quasi quodam modo colligunt." Plura dabit Du Bos (Kritische Betrachtungen über die Poesie und Mahlerei. III. XV. ex vers. Germanica p. 228. ff.) Fülleborn. ad Pers. I. p. 23. Böttiger. de actoribus primarum etc. p. 11. sq.

Ex illo pertinacissimo labore non mirum est in singulis, quibus natura praecipue favisset, exstitisse eximiam quandam artis illius e pluribus quasi artibus conflatae et scite compositae praestantiam, cujus admiratores vel ii se profiterentur, qui simili in genere summa cum gloria versarentur. Unicum autem exemplum a Cicerone de orat. III. 26. adlatum magnam illorum artificum sollertiam; unicum quoddam dictum laudatum a Cicerone de orat. I. 29. repetitum a Quint. L. XI. 3. 177. „caput esse artis decere: hoc tamen unum id esse, quod tradi arte non possit," summam artis prodit intelligen-

---

25) Addit: „Nam quo quisque est sollertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. Quod enim ipse celeriter arripuit, id quum tarde percipi videt, discruciatur." Admonent haec illorum, quae Lutherus de se dicit: „Ich habe kein besser Werk, denn Zorn und Eifer: denn wenn ich wohl dichten, schreiben und predigen will, so muss ich zornig seyn; da erfrischt sich mein ganz Geblüt, mein Verstand wird geschärft, und alle unlustigen Anfechtungen und Gedanken weichen."

26) En novam simul ex hoc loco collato cum Quint. XI. 3. 73. pluribus plasticae artis operibus affusam lucem. v. Zoega Bass. Riliev. T. XXIV. et quae Welckerus ad hanc tabulam et Böttiger. in Prolus. „quid sit fabulam docere" II. p. 10. attulerunt.

tiam. — Conferat praeterea, cui lubet, in eorum laudes quae dicta apud Cic. de div. I. 57. de Off. I. 31. Horat. Epp. II. 1. 82. Quint. Inst. Orat. XI. 3. 111.

Habuit tamen hujus artificii laus et honor inter Romanos per temporum decursum quasdam vicissitudines, ita ut, quod prius magnopere placuisset, serius fastidiretur. Corn. Tacitus, qui in dialogo de oratt. plures ejusmodi morum et artium apud Romanos mutationes recensuit, neque hanc plane praetermisit. c. 20. „nec magis perfert (vulgus) in judiciis tristem et impexam antiquitatem, quam si quis in scena Roscii aut Turpionis Ambivii exprimere gestus velit.“ Latet in his quaedam obscuritas, quae fere tollitur his, quae Quintilianus L. XI. c. 3. de hac re explicatius docuit, quorum extrema haec: „Sed jam recepta est actio paullo agitatior, et exigitur, et quibusdam partibus convenit, ita tamen temperanda, ne, dum actoris captamus elegantiam, perdamus viri boni et gravis auctoritatem.“ Veteres igitur artifices ad res magis et poetae verba gestum attemperabant tardiore quadam gravitate, recentiores ad saltandi decorem et mobilitatem. Ulterius haec persequi, a nostro instituto alienum, non omittendum vero novum Romanorum inventum, e quo jam a Livii Andronici aetate histriones diverbia modo pronunciarent, cantica, puero accinente, et responsante tibicine, saltarent. Bene hoc, an secus factum a Romanis, multis quaerere non libet, neque ea repetere, quae ad defendendum et commendandum hunc morem a nostra consuetudine prorsus abhorrentem ab aliis [27]) jam prolata sunt. Romanos singulorum eximias virtutes sibi ostendi maluisse, quam eorum, quae ad animos afficiendos valeant, amicam consociationem, Schlegelius [28]) judicat, habita Graecorum artificum ratione: poterit vero etiam dici singulorum eximia virtute effectum, ut, quae discreta essent, in unum quiddam ac totum suaviter conspirare viderentur, nec frustra Senecam miratum „scenae (saltandi) peritos, quod in omnem significationem rerum et affectuum parata esset illorum manus et verborum velocitatem gestus assequeretur.“ (Ep. 121.) Quicquid hoc rei sit, id certe nemo negaverit, Romanos histriones, quum non modo vocem ad sensum verborum et numeros, gesticulationem autem non modo ad affectus exprimendos sed etiam ad rhythmos ex certis et admodum severis legibus accommodare deberent, hoc sine magna arte et multa exercitatione perficere non potuisse.

Attingam nunc alia, quae ad ornatum rei tragicae pertinuerunt. Tragoediarum editio, ut hoc primo loco afferam, habuit cum religione publica etiam externam quan-

---

27) Cfr. du Bos. l. l. III. p. 160. sqq. et p. 324. sqq. a quo multa omnino in rem Romanorum scenicam acute sunt observata et docte explicata. Istam rem, de qua nunc agimus, Böttigeri quasdam in dissertatione de quatuor aetatibus rei scenicae prolatas opiniones refutaturus denuo illustravit Hermannus in dissert. de cantico in Romanorum fabulis scenicis Lips. MDCCCXI.

28) Die Römer zogen, wie es scheint, die vereinzelte Meisterschaft der harmonischen Einheit vor. Vorles. II. 5. 15.

dam necessitudinem. Etenim non edebantur nisi ludis publicis [29]), quos inter sacra recte ac pie observanda Romani habuerunt. Cic. de legg. II. 9. Orat. de harusp. resp. c. 12. Val. Max. II. 4. 1. qui theatra excogitata dicit cultus deorum et hominum delectationis causa. Donato (de trag. et com.) teste, in scena duae arae poni solebant, dextra Liberi, sinistra ejus dei, cui ludi fiebant. Itaque Lactantius (Inst. VI. 20.) ea ipsa de causa improbat, quod Christiani spectacula frequentent.

Theatra Romanorum [30]) ut ex Vitruvii inprimis scriptis et ex monumentis constat, eo potissimum differebant a Graecorum theatris, quod orchestra, quae apud hos choro destinata esset, apud illos sedilia senatorum habebat. Id quidem ita instituerunt Romani, quia chori Graeci amplitudinem et magnificentiam assequi aut nollent, aut non possent. A choro omnis res tragica inter Graecos profecta, secus factum apud Romanos, qui quoniam lyrici carminis facultate minus pollerent, choro e tragoedia quidem non excluso [31]) id tamen potissimum egere, ut actionum granditatem et gravitatem

29) Ita eodem *favendi* vocabulo et in re sacra et in ludis illis utebantur; de quo conf. Ferrarius de Vett. acclamationibus et plausu L. II. c. 4. 10. Quibus ludis prima Livii Andronici fabula data sit, quaerere instituit Osannus libro laudato p. 57. et acquiescendum putat in testimonio Attii s. Atteii, licet in computatione annorum erraverit, qui ludis Juventutis editam primam fuisse refert apud Cic. Brut. 18. At ludos illos Juventutis M. Livius Salinator Senensi proelio voverat, quod commissum a. 547. cfr. Liv. XXVII. 46. Illi ludi sexdecim annis post facti Liv. XXXVI. 36. anno igitur 563. Nunc Attius retulit, primam fabulam editam coss. C. Cornelio et Q. Minucio i. e. a. 557. Jam in his est quaedam, tolerabilior tamen, differentia, sex nimirum annorum; quid vero? si statuamus, ut fecit Osannus, primam Livii fabulam editam esse a. 513. ubi nondum Senense proelium commissum, multo minus illi ludi agi potuere. Erit igitur, quod Cassiodorus perhibet, ludis Romanis actam, praeferendum. Caeterum quae Livius L. XXXVI. 36. ex Valerio Antiate refert, ludos eo anno (563.) in honorem Magnae Matris Idaeae celebratos *primos scenicos* fuisse, ea quidem, opinor, patefaciunt, qua fere via et quo duce Attius in errorem a Cicerone notatum incidere potuerit. Quomodo autem hic Livii locus cum aliis XXIX. 14. XXXIV. 54. conciliari debeat, docere studuit Dukerus. ed. Drackenborch. T. IV. p. 874.

30) De his conferri poterit Hirt: Geschichte der Baukunst Berlin 1822. II. p. 222. sqq. et Genellius in amplissimo opere inscripto: das Theater zu Athen. Berlin u. Leipz. 1818. p. 47. sqq. adhibitis tamen iis, quae eruditissimus ejus censor in Ephem. litt. Lips. 1818. n. 238. et n. 239. opposuit. Quicquid ad Graeci Romanique theatri differentiam pertinet, et reliqua de scenico apud Romanos cultu habituque, erudita nuper brevitate complexus est Stieglitzius in libro, quem inscripsit, Archaeologische Unterhaltungen. I. S. 76. sqq.

31) Quo jure nonnulli (v. c. Planckius de Medea p. 56. sq. ipse Böttigerus de aetat. rei scenicae p. 14.) nullum tragoediae Romanae chorum fuisse contendant, nondum exputo. Quaecunque adferuntur Grammaticorum testimonia, ea nonnisi ad Comoediam pertinent, in qua chorum nullum fuisse nemo est, qui ignoret. At tragici chori apud veteres non infrequens mentio. Ipsius jam Livii Andronici *chorus Triviae* apud Terentianum Maurum p. 2425. et Marium Victorium p. 2512. quamquam magna in hoc loco de Livio dubitatio, v. Hermannus libro de metris vernacula lingua scripto p. 137. Elem. Doct. Metr. p. 384. Osannus Anal. Crit. p. 36. Apud Varronem L. V. p. 77. ed. Bip. *chorus Proserpinae*, quem in Laodamia Livii Andronici fuisse, Scaliger ad h. l. conjicit; apud Gellium XIX. 10. *chorus in Iphigenia*. cfr. Terent. Maurus p. 2426. 2430. Plura etiam tragi-

oculis spectatorum subiicerent et explicarent. Quare, orchestra sublata, spatii aliquantum addiderunt proscenio, facilius sic et commodius scenicarum personarum multitudinem earumque gestus ac motus capturo.

In theatris non defuit, quem Graeci induxerunt, apparatus scenicus; habuere scenam pulcherrimis picturis inde a Claudio Pulchro aedili [32]) an. 654. (Val. Max. II. 4. 6. Plin. XXXV. 4.) post etiam columnis, marmoreis statuis, argento, ebore et auro ornatam (Cic. pro Muren. c. 19. Vitruv. V. 6. 6. Plin. XXXIII. 3. XXXV. 15.), omnes illas machinas, quibus, quae intus agenda, mutanda, producenda essent, regerentur, et oculis spectantium proponerentur, vasa, quibus vocis ac cantus sonitus augeretur, aulaea [33]), personas, syrmata, cothurnos; modos denique tibiarum, serius etiam citharum ad tragica cantica singulari artificum Musices peritorum opera [34]) compositos.

Haec igitur omnia de Graecis translata. Verum hoc est. Est tamen aliquid, quod omnia. Non autem diffitendum est, scenici apparatus luxuriam, ex splendore aedilitatum (Cic. de off. II. 17. Verrin. IV. 3. 59.) enatam, eo usque procedente tempore accrevisse, ut cordatioribus molestiae plus quam voluptatis crearet. Ita Cicero ad Marium (ad Fam. VII. 1.) „apparatus spectatio tollebat omnem hilaritatem; quo quidem apparatu non dubito quin animo aequissime carueris. Quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra? aut in Equo Trojano craterarum tria millia? aut armatura varia peditatus et equitatus in aliqua pugna? quae popularem admirationem habuerunt, tibi nullam delectationem attulissent.“ — Num vero aliter, ut de nostratibus taceam, apud Graecos, quos immensos sumtus in scenicis spectaculis, et choris prae-

---

corum fragmenta adhuc servata choricorum quondam particulas fuisse, in confessis est cfr. de Bacchis Attii Scaliger ad Varronem L. L. II. p. 144. ed. Bip. Boekh. Graec. Trag. Princip. p. 313. de Ennii Thyeste Bentl. ad Cic. Tuscul. III. 12. Multa alia praetereo. Itidem in Senecae tragoediis chorus est. Alio autem modo chori partes apud Romanos actas fuisse, quam apud Graecos, non dubium, at, quo id factum fuerit, fateor me cum aliis nescire. — Qui apud Senec. Ep. 84. Macrob. Sat. I. praef. Columell. XII. 2. 4. Phaedr. fab. V. 7. 25. commemorantur chori, eos ad tragicam scenam non pertinuisse, vel inde concludi potest, quod partes fere feminarum in iis fuisse significatur.

32) v. Genelli l. l. p. 48, sq. A Claudio aedili dicta et *Claudiana tonitrua*, quibus coniectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrus similitudinem referret. cf. Festus v. Claudiana tonitrua. add. Sallustii fragment. apud Macrob. Sat. II. 9.

33) Ea quidem theatro Romano propria fuisse videntur cfr. quae de hac re scripsit Genelliani operis censor p. 1906. 7. et Groddeckius singulari dissertatione „de Aulaeo et Proedria Graecorum.“ Vilnae 1821. et inserta Miscellaneis Criticis, quae edi curaverunt Friedemannus et Seebodius. Vol. I. P. II. p. 293. sqq. De scenica machinatione praeter Böttigeri libellum „Deus ex machina“ jam supra laudatum conferri nunc poterit Genellius p. 53. sqq.

34) Apud Graecos id a poeta ipso factum scimus cfr. du Bos. l. l. p. 78. sqq. Böttiger. „quid sit docere fabulam“ I. p. 10. sqq.

cipue instruendis et adornandis effudisse accepimus. (Wolf. ad Leptin. p. LXXXIX. Böckh. Staatshaushaltung der Ath. I. p. 487. sqq.)

Quare ubi Romani poetae voluptatem populi ab auribus ad oculos migrare videbant, in *Recitationibus* [35]) suas tragoedias novo prorsus instituto docere coeperunt, quae medium quodammodo locum inter publicam editionem et privatam lectionem tenebant, quanquam et alia ibi cujuscunque generis scripta recitabantur. Hunc autem morem, quem ab Augusti aevo percrebruisse constat, non est, quod omnino improbemus. Negavit jam Aristoteles (de Poet. c. 6.) scenicum apparatum ad vim et proprietatem tragoediae pertinere, eamque etiam sine spectatoribus et actoribus constare. Si igitur Romani poetae his recitationibus ingenia periclitabantur, si, exclusa multitudine, eruditorum aures et judicia adhibebant, si publico ac sollemni amicorum consessu majorem suis carminibus celebritatem parabant, acriores ad eadem pangenda spiritus sumebant, nonne id aeque laudandum videatur, ac vituperandum, quod serius haec consuetudo in adulationem, vanam ostentationem, ipsiusque artis tragicae detrimentum detorta est?

Praeterea habuere Romani, a Neronis potissimum aetate (Suet. c. 12.) publica *certamina musica* ad exemplum Graecarum civitatum a Caesaribus instituta, in quibus et judices sederent, et victoribus praemia darentur. Iisdem Domitianus peculiare aedificium instruxit, *Odeum* (Suet. c. 5.), in quo, ut est apud Appuleium in Floridis, „mimus hallucinabatur, comoedus sermocinabatur, tragoedus vociferabatur, funerepus periclitabatur, praestigiator furabatur, histrio gesticulabatur;“ Hadrianus *Athenaeum* v. Aur. Vict. de Caes. c. 14. Scriptt. H. A. I. p. 561. 947. Tragoedias quoque in illis certaminibus, certe *μονῳδίας* tragici argumenti, aut tragoediarum insigniores partes (ut prius fecit aliquando Jason Trallianus. v. Plut. Crass. c. 33.) adhibitis histrionibus, qui ad cantum et tibias gestus facerent, editas, ipsius Neronis exemplum evincit, de quo Suetonius c. 21. 25. et Xiphilinus XXIII. c. 9. 10. 22. Tragoedorum autem ex his certaminibus victorum creberrima in Inscriptionibus mentio [36]). In iisdem et Pantomimorum

---

35) De his multi multa scripsere, quos laudat Thorbecke de Asinio Pollione p. 107. cfr. Gierigius in Excursu I. ad Plinii Epp. T. II. p. 538. inprimis autem Heinrichius in Comment. I. in Juvenalis Satiras. Kiliae 1806. p. 18 sqq. Pollio primus fuit, qui advocatis hominibus scripta sua recitaret v. Thorbecke p. 105. sq.

36) Judicum ad scenicas fabulas examinandas constitutorum jam ante Neronis aetatem quaedam quamquam levia admodum vestigia v. c. apud Ciceronem epp. ad Fam. VII. 1. „nobis autem erant ea perpetienda, quae scilicet Sp. Maecius probavisset“ de quo Schol. ad Horat. Sat. I. 10. 38. „Sp. Mactius Tarpa fuit Criticus assiduus poematum et poetarum in aede Apollinis seu Musarum, quo convenire solebant poetae, suaque scripta recitare, quae nisi a Tarpa aut alio critico, qui numero erant quinque, probarentur, in scenam non deferebantur.“ Quod de histrione apud Quintilianum III. 6. 18. legitur, qui se praetori in hortis ostenderit, antequam in scenam esset deductus, id et Spaldingii et Böttigeri ad illum locum notis satis illustrari non potuit. — De certaminibus musicis scripserunt *Schwarzius*, „de certaminibus veterum poetarum et oratorum“ Altorf. 1728. *Waltherus* de

spectaculis choros hic illic commemoratos, si simpliciter dicantur, fere decantatos suspicor.

Ab his commissionibus sejuncti erant teste Luciano de salt. §. 32. T. II. p. 286. ed. Reitz. *Pantomimi* [37]), in quorum infami celebritate omnem, si qua fuerit, artis tragicae praestantiam periisse, vulgaris querela est. Saepius vilissimas et turpissimas res ab iis in scenam prolatas, vitam autem eorum probrosam fere et flagitiis inquinatam fuisse, qui negare vellet, adversariam haberet omnem illorum temporum historiam. Hinc severissimus quisque imperatorum in illos homines acerrimus. Ars tamen ipsa jam inter veteres non contemnendos nacta est patronos Lucianum et Libanium, quorum ille in libello *de Saltatione* id egit, ut eam magna quadam et admirabili pulchritudine commendari, hic in declamatione *adversus Aristidem pro saltatoribus*, T. III. p. 345. sqq. ed. Reisk., ut eam moribus haud nocere ostenderet. Nobis satis erit, quae inter eandem et tragicam poesin necessitudo fuerit, paucis indicasse. Pantomimorum arte non minus seria et tragica, quam jocularia, et multa cum gravitate et dignitate exhibita fuisse, testis inprimis esse poterit Pylades, Augusti aequalis, cujus tanta inter pantomimos fuit

---

Actiacis Capitolinis aliisque agonibus veterum Viteb. 1752. *Martinius* (von den musikalischen Wettstreiten der Alten. Neue Bibl. der sch. Wissensch. 7. B.). Horum certaminum rationes et instituta ex inscriptionibus potissimum cognoscuntur. Inde patet ad exemplum Graecorum Thiasotarum (v. c. Attalistarum. Strabo L. XIV. p. 952—53. ed. Cas. Chishull Ant. Asiat. p. 143. 144. quorum mentionem jure desideres in Mansonis de Attalis libello), scenicos artifices sodalitates quasdam constituisse et in iis sacerdotium, magistratus, munia, leges. — Appellatae illae Synodi, sacrae Synodi, et qui iis adscripti essent, Synoditae aut parasiti Apollinis, adlecti scaenae, Scaenici. v. Scaliger ad Festum v. *Salva res est*, et in Ausonianis Lectionibus II. c. 19. — Quaecunque in hac re relatu digna sunt, ea fere omnia continentur in luculenta Inscriptione Florentina, quam ex atrio Marchionis Richardi Thomas Reinesius protulit (Syntagm. Inscript. III. n. 36.) sed emendatius unoque versu integrius Jacobus Sponius Miscell. X. p. 369. et illustravit van Dalen in Dissertatt. Antiquitatt. et Marmoribus inserv. p. 259. sqq. Facta est a L. Septimio Tryphone, sacrae synodi tempore M. Antonini Pii pontifice, ibique Auli Oenei tragoedi παραδόξου i. e. victoris nomen. add. Gruter. Inscriptt. Antiq. p. CCCXXX et MLXXXIX. Montfauc. Palaeogr. p. 170. 71. Histoire de l'Acad. d. Inscript. T. XIV. p. 107. sqq. Passionei Inscript. Cl. XIV. T. 28. p. 143. Fabretti Inscript. Cl. X. p. 704. Muratorii Thes. p. DCLIX. — Similis argumenti sed ad Graecas gentes pertinentes Inscriptiones nuper repertas docto et ad historiam rei scenicae graecae utilissimo commentario instruxit Boeckhius (Staatshaushaltung der Athen. p. 355. sqq.)

37) *Pantomimi* vocabulum nunquam, puto, de artificio legitur. Locus unicus in hanc significationem acceptus apud Plin. H. N. VII. 53. aliud non docet, nam et ibi de homine. Salmasii autem conjectura *Mithaeco* non opus esse videtur, poterat enim Pantomimus Mythicus vocari; cui tamen opus videatur, viderit, an *Μιθαίκον νύμφαι* (Pollux Onom. IV. 19.) aliquo modo illuc pertineant. Propria autem Graecis in hac arte vox διατίθεσθαι et διάθεσις v. Casaub. de Satyrica poesi I. c. 4. p. 112. ed. Rambach. Schweighäuser ad Athen. Animad. T. I. p. 165. — Hinc illustrandum Isidori Cynici dictum de Nerone (Suet. c. 39.) quod *Nauplii mala bene cantitaret, sua bona male disponeret*, Acumen, quod est in Graeci vocabuli, quo sine dubio usus est, ambiguitate, in Latino *disponeret* obtusum est. — De Pantomimorum artificio plura rectius et accuratius, quam adhuc factum est, exposuit Müllerus de genio aevi Theodosiani Part. II. Gotting. 1798. p. 103. sqq.

auctoritas, ut ejus nomine, qui succederent, vulgo appellarentur. Senec. Nat. Quaest. VII. 32. habitavit in tragoedia; v. Seneca Controv. Exc. III. p. 397. ed. Bip. saltatio ejus apud Athenaeum T. I. c. 17. p. 77. ed. Schweigh. dicitur ὀγκώδης παθητική τε καὶ πολύκοπος [38]). Cum canticum quoddam saltaret Hylas, (narrat Macrobius Sat. II. 7.) cujus clausula erat τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα, sublimem ingentemque velut Agamemnonem metiebatur. Non tulit Pylades, et exclamavit e cavea: Σὺ μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς. Tunc populus coegit idem saltare canticum, quumque ad locum venisset, quem reprehenderat, expressit cogitantem; nihil magis ratus magno duci convenire quam pro omnibus cogitare. — Manilius Astron. L. V. p. 447. sqq. de pantomimo:

Nunc saturo gestu referetque affectibus ora,
Et sua dicendo faciet solusque per omnes
Ibit personas et turbam reddet in uno,
Aut magnos heroas aget scenisque togatas,
Omnis fortunae vultum per membra reducet,
Aequabitque choros gestu, cogetque videri
Praesentem Trojam Priamumque ante ora cadentem:
Quodque aget, id credas stupefactus imagine veri.

quocum loco conferendus Sidon. Apollinaris. Carm. XXIII. v. 268. qui quatuor saeculis post eodem modo tragicos inter Pantomimos suae aetatis artifices dilaudat. — Lucianus autem l. l. §. 79. eos saepius lacrimas spectantibus exprimere testatur. Pantomimos igitur non absurdum erit quodammodo pro tragicis poetis habere, quippe quibus contigerit, nativo quodam sermone omnibus hominibus bene noto ac perspicuo summa [39]) cum arte non modo singulos exprimere affectus, sed factorum etiam actio-

38) Πολύκοπος i. q. difficilis motus apud Cic. Brut. c. 30. Non opus cum Salmasio legere πολυπρόσωπος, multo minus aliquid mutandum in loco Ciceronis. Idem Athenaeus Memphin saltatorem philosophum adpellat L. I. c. 17. p. 75. ed. Schweigh. eumque Pythagoricam philosophiam quasi exhibere, dum silentio res luculentius quam alii verbis declaret. Ita enim intelligo illum locum, quem ex parte tantum rectius explicuit Schweighäuserus in Addendis T. VIII. p. 394. quam in Amimadversionibus. — Libanius (T. III. p. 395. ed. Reisk.) narrat saltatorem quendam Prienensem canticum libertatis saltare noluisse in urbe serviente; Hegesias Herodoti Persica saltans apud Athenaeum XIV. 3. p. 620. Hinc intelligitur, quid sit illud in dialogo de oratt. c. 26. „oratores tenere dicere, histriones diserte saltare.“ — Graecis igitur et Romanis parum inexspectati acuminis habuisset illud nostratis poetae:

Raum und Zeit hat man wirklich gemahlt; es steht zu erwarten,
Dass man mit ähnlichem Glück nächstens die Tugend noch tanzt.

39) Praeclare Cicero de orat. III. 59. „In iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem commovent, nisi eum, qui ejusdem linguae societate conjunctus est; sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant: actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet; iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscunt et in se ipsis indicant.“ cfr. Quint. XI. 3. 1—9. Notabilis adhuc ad nostram rem Mediolanensis lapis in honorem Theocriti Pyladae alicujus, Pantomimi, a grege Romano positus, apud Gruter. p. MXXIV.

nisque tragicae ordinem continuare. Habuit tamen et ipsa poesis in illa chironomia, quae dicebatur, aliquam partem. Res est subobscura, tamen testimoniorum fide satis munita. Provocare liceret ad ea, quae Sirmondus attulit ad Sid. Apoll. VIII. 9. Verum quoniam ille locos tantum ex ultimorum temporum scriptoribus laudat, addere juvat alios. Non loquor autem de illis canticis, quae ὑποϱχήματα dicerentur, et in usum saltatorium unice essent composita, de quibus Athenaeus I. 15. XIV. 617. 628. Plutarch. de Musica c. 9. et inter recentiores Genellius (über das Theater zu Athen. p. 105.) Thierschius (Einleitung zu Pindarus Werken. S. 64. sq.), sed de carminibus poetarum epicorum vel tragicorum, quibus gestum illi aptumque motum commodarent. Est in hanc rem luculentus locus Macrobii Sat. V. 17. ubi dicit a Virgilio fabulam lascivientis Didonis ita ornatam, ut pictores fictoresque et qui figmentis liciorum contextas imitentur effigies, hac materie vel maxime in efficiendis simulacris tanquam unico argumento decoris utantur; nec minus histrionum perpetuis et gestibus et cantibus celebretur. Et Suetonius Neronem narrat (c. 54.) vovisse, se saltaturum Virgilii Turnum. Horum locorum immemor erat Heynius ad Donati Vitam Virgilii §. 41. Hinc magis etiam patet, unde fama orta sit, Virgilium tragoedias scripsisse, quam Badenius l. l. p. 31. tantum a tragici affectus gravitate in Virgilii carminibus conspicua repetit. Neque alio consilio Parim pantomimum Statii Agaven emisse (Juvenal. Sat. VII. 92. cfr. Franckii „Examen criticum Juvenalis vitae“ Altonae et Lips. 1820. p. 127.) credibile est, quam ut ea ad saltationem uteretur. Denique diserte refert Seneca Suas. II. p. 20. ed. Bip., Silonem Pantomimis fabulas scripsisse.

Jam quoniam, quantum licuit, ea collegimus, unde judicare pro se quisque possit, quae fuerit tragicae poesos et omnis rei tragicae apud Romanos ratio et conditio, restat, ut alterum, quod supra jam significavimus, persecuturi, demonstremus, tragoediam neque a populo esse neglectam. Patet hoc jam quodammodo ex iis, quae superius adlata sunt. Haec enim aut ementita omnia, aut illa tragicae poeseos et artis studia non ita effervescere potuerunt, nisi populus iisdem magnopere faveret. Atqui fidem huic rei faciunt etiam diserta multa testimonia, unde manifestum fit, tragicam artem magno in honore habitam a Romanis, eandemque in animis eorum et institutis non inertem fuisse.

---

n. 5. A dextro latere est effigies viri palliati, a sinistra autem chlamydati, lanceamque gestantis manu sinistra, dextra vero attollentis larvam. Effigies prior adscriptum habet; JONA, posterior TROADAS ac superius: „sui temporis primus.“ Recte videtur Salmasius ad Vopiscum p. 834. ita accepisse, ut significetur, Pyladem in his duabus Euripideis tragoediis saltandis, quum alios, tum se ipsum vicisse. Quod si ita est, tamen chorica veterum tragicorum carmina ad pantomimorum saltationes esse adhibita, verisimile fit, de quo dubitabat Müllerus in libro de genio aevi Theodosiani supra laudato p. 121. sqq.

Pleni sunt Romanorum libri laudum, quibus tragicos suos poetas exornant, pleni gratiae, in qua apud optimum quemque floruerunt. „Quis tam inimicus paene," exclamat Cic. de finibus I. 2. „nomini Romano est, quin Ennii Medeam aut Antiopam Pacuvii spernat." cfr. de orat. I. 58. III. 8. Itaque, Vitruvius L. IX. praef. ait, „qui litterarum jucunditatibus instructas habent mentes non possunt non in suis pectoribus habere, sicuti deorum, sic et Ennii poetae simulacrum. Attii autem carminibus qui studiose delectantur, non modo verborum virtutes, sed etiam figuram ejus videntur secum habere praesentem." Columella praef. T. I. „An Latiae Musae non solos adytis suis Attium et Virgilium recepere, sed eorum et proximis et procul a secundis sacras concessere sedes." add. Ovid. Trist. V. 7. 25. Plin. XXXIV. 5. Val. Max. VIII. 14. 1. 2. Fuisse etiam inter recentiores, qui impense veteres amarent, testantur. Pers. I. 76.:

Est nunc Brisaei quem venosus liber Atti,
Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa aerumnis cor luctificabile fulta.

et Martialis L. XI. 91.:

Attonitusque legis terrai frugiferai
Attius et quicquid Pacuviusque vomunt.

Fronto (Opp. ed. Med. I. p. 25. 26. p. 176. ubi sic): „Mox ut te (ad Antoninum scribit) studium legendi incessisset, aut te Plauto expolires, aut *Attio* expleres, aut Lucretio delinires, aut *Ennio* incenderes" add. Quint. V. 13. 43. et omnino quos in laudem illorum poetarum jam attuli locos. Huc et ea pertinent, quae de monumentis eorum v. c. Ennii, Naevii, Pacuvii traduntur. Cic. pro Arch. c. IX. Tuscul. I. 15. Cat. maj. 20. Liv. XXXVIII. 56. Ovid. A. A. III. 409. Gellius I. 24. Solinus Polyhist. c. 7. Hieronymus Chron. ol. CLIII. 1. Nec leve firmamentum illi opinioni, magno in cultu ac honore tragicam poesin fuisse, inde accedit, quod eorum, qui ei operam darent, plures aut cum summis in republica viris viverent familiarissime, ut Ennius cum Scipione, Pacuvius cum Laelio, Attius cum D. Bruto, Varius cum Augusto, aut ipsi amplissimis civitatis honoribus fungerentur. Quemadmodum ii a poetica facultate et carminibus novum splendorem acceperunt, ita eundem iis reddiderunt. Idem vereor ut de comicis poetis dici possit. Scipio et Laelius furtim comicam poesin exercuisse, ejusque negotii laudem aliis relinquere, quam ei sua nomina inscribere maluisse traduntur, quod si vel fama tantum constiterit, tamen vel haec fama nostrae sententiae patrocinatur. „At," inquiunt, „tanto contemtiores erant apud Romanos histriones, ut quibus ne civium quidem jure omnino uti licuit," comparantque Graecos, inter quos longe honoratior fuerit scenicorum artificum conditio. Instituit jam, haud sine utriusque gentis contumelia, hanc comparationem Augustinus de civitate dei II. 11—13. et plura haud protrita in eam rem monita videbis in van Dalen. Dissertt. Antiquit. et Marm. inserv. p. 584. sq. No-

lim quidem nunc urgere, vel apud Graecos levioris certe, ut ajunt, notae maculam histriones habuisse [40]), at hoc salva testium fide monere licebit, ubique fere, ubi scenici exagitentur, non tam tragoediarum, quam comoediarum actores et mimos et pantomimos respici, aut probra illa conjici a Christianis scriptoribus, quibus, quicquid ad scenam pertineret, invisum erat ac detestabile. Alioquin certe si prisca reipubl. Romanae tempora cogites, explicari satis nequeat, qua fretus audacia Cicero his quidem laudibus non inter amicos et familiares, sed publice extollere potuerit Aesopum et Roscium; pro Roscio com. c. 6. „ita dignissimus (Roscius) est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam. — Estne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? estne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberaliorque videatur. — Eundem tu et honoris caussa appellabas, et virum primarium esse dicebas.“ pro Archia poet. c. 8. „Quis nostrum tam animo agresti aut duro fuit, ut Roscii morte nuper non commoveretur, qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac venustatem videbatur omnino mori non debuisse.“ At quod alibi dicit pro Quintio. c. 25. „cum artifex ejusmodi sit, ut solus dignus videatur, qui in scena spectetur, tum vir ejusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eo non accedat“ argutiusne et cupidius videbitur, si statuamus his verbis comicum magis actorem, qualis non minus ille fuit, (Cic. de orat. II. 59. Epp. ad Fam. IX. 22. Diomed. l. III. p. 486.) quam tragicum lacessi. De *gravi*, quem Horatius appellat, Aesopo Cicero ubique honorificentissime, velut pro Sextio c. 56. „Summus artifex et mehercule semper partium in republica tanquam in scena optimarum.“ In epistola ad Marcum (ad Fam. VII. 1.) nonnisi id reprehendit, quod Aesopus suus in scenam redierit, quum ei per omnes homines desinere liceret. Expertus tamen est populum facilem, senectuti non magis quam reverentiae lapsum condonantem. In eadem autem epistola eum Marii, qui Graecos et Graeca omnia odisset, delicias vocat. Probabiliora videbuntur, quae scripsi, si subjunxero illustre quoddam exemplum, *Thraseae Paeti*, „viri antiqui, et inter tot humiles adulatores tyrannum laudandis flagitiis magis etiam corrumpentes unius omnium erecti, constantis, intrepidi, gravis,“ [41]) quem sub Nerone honesta morte obiisse ex Taciti inprimis testimonio constat. Idem autem refert Annal. XVI. 21. Thraseam Patavii, unde ortus esset,

---

40) Vel ipsum nomen, quo vulgo appellabantur, ὑποκριτὴς probrosi aliquid habebat, nisi in *natione comoeda* (Juvenal. III. 120.) levius id existimes, aut primitivam vocabuli significationem (v. Hesych. s. h. v.) praevaluisse putes. Non nimis honorifica, quae apud Demosthenem de corona c. 40. 55. leguntur, aut quae ex Aristotele retulit Gellius XX. 4. Recentiore autem aetate vix alia eorum, quam Romanorum, dignitas fuit, id quod docet tota illa Libanii in Aristidem declamatio. Mercedem antiquiores jam, ut Romanos (quibus Lucar dicta, cfr. Lipsius in Excursu N. ad Taciti Annal. I. 77.) contra quam a nonnullis putatum est, accepisse, ostendit Boeckhius, Staatshaushaltung der Athener I. p. 489.

41) Verba sunt Reimari ad Dionem Cass. LXI. 15. T. II. p. 994.

ludis cesticis habitu tragico cecinisse. Verendum sane ei fuisset, ne a Catone suo, cujus perpetuus erat admirator et aemulator, indignissime degenerare videretur, nisi aliud de tragicis actoribus judicium Romanorum animis inhaesisset, quam de reliquis histrionibus. — Obstat autem Seneca, qui in Ep. 80. haec: „Ille qui in scena elatus incedit, et haec resupinus dicit:

> En impero Argis; regna mihi liquit Pelops,
> Qua Ponto ab Helles atque ab Jonio mari
> Urgetur Isthmos;

servus est, quinque modios accipit, et quinque denarios. Ille, qui superbus atque impotens et fiducia virium tumidus ait:

> Quod nisi quieris, Menelae, hac dextra occides,

diurnum accipit, in centunculo dormit.“ Non nimium his tribuo, ut scriptoris, dum ingenio indulget, res ultra veritatem aut exaggerantis aut deprimentis, neque vero negaverim, seriori aetate, et Neronis ipsius exemplo (Dio. Cass. LXI. 17. II. p. 996.) accidisse, ut haec ars magis magisque in publicum contemtum abiret.

Ad ipsos tragicos ludos adtulisse Romanos magnum studium et acre omnis elegantiae ac pulchritudinis judicium, idoneo teste, ut hoc nunc iterum inprimis utar, quem nonnulli in contrariam sententiam adhibere solent, Horatio, credendum est. Quando in Epistola ad Pis. v. 182. dicit in tragico argumento;

> Si dicentis erunt fortunis absona dicta
> Romani tollent equites peditesque cachinnum,

ib. v. 248.

> Offenduntur enim (inepte dictis) quibus est eques et pater, et res,

quando narrat (Ep. II. 1. 60.) Pacuvii et Attii, ut Comicorum, fabulas „arcto stipatam theatro Romam“ videre et (v. 82.) ea, „quae gravis Aesopus, et doctus Roscius egissent, seniores extorqueri sibi non pati,“ quis adhuc dubitet, populum Romanum ea certe et, quae proxime antecesserat, aetate haud medioeri studio ac judicio tragoediis quoque spectandis se adplicuisse. Cui laudi non repugnant, quae de plebecula narrat (l. l. v. 186.) nisi forte in Romuli faece hujus rei arbitrium repositum statuamus, cui crocodilos magis, quam Pelopidas, et Samnites magis, quam Aeneadas placuisse facile concesserimus. Ad *populum* certe, non ad plebeculam provocabat Pomponius Secundus (Plin. Epp. VII. 17.) elegantissimus tragoediarum scriptor, si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse detinendum arbitraretur. Itaque equitis Horatiani (l. l. v. 187. sqq.) frivola fastidia non multum moramur, in indignam aliquando Augustanorum juvenum assentationem degeneratura[42]). Quam eruditas et quam teretes aures habuerit populus Romanus, vix

42) De his Reimarus ad Dion. Cass. T. II. p. 1000.

crediderint, qui ei non modo, quidquid Musa leporis, sed fere, quicquid cultior humanitas venustatis habet, abjudicandum censent. Credere tamen debent Ciceroni talia referenti: „Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et voculae, quam certae et severae? quibus tamen non modo austeri, sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat“ de orat. III. 25. „Quotusquisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo non modo catervae atque concentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes ejiciantur.“ ibid. I. 51. in eandemque fere sententiam Paradox. III. 2. „Histrio si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibillatur et exploditur.“

Verum Romani animos non modo ad has aurium blanditias et doctas artium scenicarum argutias, sed etiam ad teneriores affectus, quales tragoedia excitare solet, pronos habuerunt; adeo tragica persona non iis tantum pro terriculamento fuit, quo gratus quidam horror incuteretur, aut tragica scena pro amphitheatro, quo atrocitatis et immanitatis adspectu oculi pascerentur. Quod qui pernegant, aut non legerunt, aut legisse noluerunt, quae idem Cicero habet Tuscul. I. 44. „Ecce alius exoritur e terra qui matrem dormire non sinat.

Mater te appello tu quae curam somno suspensam levas;
Neque te mei miseretur: surge et sepeli natum. —

Haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris moestitiam inferant, concinuntur“ — et de fin. V. 22. „Qui clamores vulgi atque imperitorum excitantur in theatris, cum illa dicuntur: Ego sum Orestes; contraque ab altero: Immo enim vero ego sum, inquam Orestes“ (cfr. Laelius. c. 7.). Ac, ne nunc lacrimosa poemata Pupi advocem, Quintilianus, se saepe histriones cum ex aliquo graviore affectu personam deposuissent, flentes adhuc egredi vidisse testatur Instit. Orat. VI. 2. 35. Non opus est plura addere; hoc tamen in hoc ipso loco dignum commemoratu videtur, quod Romani ad Graecorum exemplum et rationem etiam hoc instituerunt, ut secundum tragoedias prius Atellanas, post mimos ad temperandum nimii doloris sensum adhiberent. Cic. epp. ad Fam. IX. 16. Plut. Pelop. c. 34. Crass. c. 33. Scholiast. antiquus Juvenalis in Sat. III. v. 175. qui sic: „Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret: ut, quicquid lacrymarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret.“ Satis inde patet, et fortia Romulidarum pectora, tragicorum sensuum et acrioribus ictibus percussa suavioribusque delinimentis et emollita fuisse et purgata. Fruatur igitur sua persuasione, quicunque velit; nobis

inhumanum propemodum videtur, magnam humanitatis partem ei genti detrahere velle, unde omnis fere humanitas ad nos defluxit.

Neque vero illa tragoediae vis intra solas theatri praecinctiones se continuit, sed latius per omnem Romanorum vitam patuit. Nam quum tragoedia apud eos semel eam celebritatem nacta esset, quam attigisse tamen, nisi toti antiquitati fidem derogare velimus, concedendum est, fieri non potuit, quin, quod tam publice, tam sollerter et tam studiose factitaretur, in ingeniis hominum et in vitae publicae rationibus locum sibi faceret, et auctoritatem adipisceretur. Eam vim per se obscuram, quam haud inepte magnae flammae compares intus aliquo in loco latenti, et nonnisi hic illic aliquot igniculos emittenti, in aliena gente, post tantum temporis spatium, in tanta monumentorum penuria indicare magis licet quam ostendere. Ejus tamen, si quae sint, significationes carptim persequamur.

Erat in tragoedia, ut hoc primum adferam, haud exigua vis ad *reliquas litteras et artes exornandas.*

Sermonem ipsum latinum varie inde auctum et conformatum nolo nunc ambitiosius exigere. Non tamen omittendum prorsus erit, e tragica scena devenisse tum singula vocabula in alienum usum conversa (ut ipsum *tragoedia* [43]), *tragicus, paratragoedare, cothurnus, cothurnatus*, alia), tum proverbia, formulas, locos communes, appellationes etc. Exempla ubivis obvia, qualia haec: *Mater te appello* Cic. pro Sextio c. 55. coll. Tuscul. I. 44. Acad. II. 27. Horat. Sat. II. 3. 62. *utinamne ne in nemore* Cic. pro Caec. c. 7. „ut tragici poetae, *confugitis ad deum*" Cic. Tuscul. I. 20. *Equus Trojanus* Cic. pro Coel. c. 28. et alibi, ex fabula, opinor, Naevii usurpatus, de qua Osann. Anal. Crit. p. 6. *Aegisthus* dictus Caesar Suet. c. 50. *Teucris* Antonius. Cic. epp. ad Attic. I. 12. 13. 14. cfr. Wieland. Cicero's Briefe I. 273. *Orestes, Alcmaeon* Nero Suet. 39. Dio Cass. LXI. 16. T. II. p. 995. ed. Reim. Juvenal. VIII. 215. *tragica cerva* apud Juvenal. XII. 120. *Jovis tragoedi* statua Suet. Aug. 57. *vicus Tragoedus* in regione Esquilina. Sext. Ruf. reg. 5. *actus, actores* de vita graviore Cic. epp. ad Fam. V. 12. de offic. I. 31. de nat. deorum III. 30. Tuscul. IV. 25. Symmach. Epp. X. 2. cfr. Muret. Var. Lectt. XI. 11. Potuerunt ex his quaedam ex graeca tragoedia proficisci, at quidni ex propiore fonte latinae tragoediae eos hausisse putemus, qui, „quidquid didicissent theatris, cantare, et faciles ad sua verba manus jactare„ solerent, ut est apud Ovid. Fast. III. 535. Ad

---

43) De re tristi aut portentosa. Locis in Lexicis notatis addi possunt Cic. de Div. I. 32. Tuscul. IV. 34. de Orat. I. 51. cfr. Victorii Varr. Lectt. XXI. 14. — A re scenica omnino satis multa et apud Romanos petita vocabula, ut *scena* ipsa i. q. omnium notitia Cic. de orat. III. 41. Horat. Serm. II. 1. 17. *postscenia* vitae Lucret. IV. 1186. *theatrum* Cic. ad Quint. T. I. 1. 90. *fabula* aetatis, Cic. Cat. 18. *persona, personata* felicitas Senec. ep. 80. *orchestra* i. q. Senatus Juvenal. II. 178. *mora* Quint. XI. 3. 158. *insignia* Cic. orat. 39. Sallust. apud Macrob. Sat. II. 9. *stare* cfr. interprett. ad Horat. Sat. I. 10. 17. etc. Lentulus Spinther cognomen traxit ab histrione. Plin. H. N. VII. 12. sect. 10. Val. Max. IX. 14. 1. cfr. Eckhel D. N. Vol. V. p. 133.

conformandum sermonis externum, ut ita dicam, habitum contulerunt etiam aliquid, antiquiore certe aetate, tragici. cfr. Horat. ad Pis. v. 51. sqq. Ita Quintilianus l. I. 7. 14. „Semivocales non geminare diu fuit usitatissimi moris: atque e contrario *usque ad Attium* et ultra porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt.“ Plura dabit Osannus Anal. Crit. p. 10. sqq. At quum veteres tragoediae obsolescerent, et denique vulgo legi desiissent, (Macrob. VI. 9. „saeculum nostrum ab Ennio et omnino bibliotheca vetere descivit“) per easdem tamen servatum est prisci sermonis studium. cfr. Cic. Tuscul. III. 9. orat. 45. sqq. coll. de orat. II. 12. Quintilian. II. 5. 21. VIII. 3. 31. ubi haec: „Memini juvenis admodum inter Pomponium Secundum et Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* in tragoedia dici oportuisset.“ Vox *squalere* illustrata apud Macrob. VI. 7. *stata* apud Gell. V. 11. cfr. XIX. 7. multae aliae hujuscemodi passim apud Varronem de L. L. Plura ex illis antiquatis tragicorum veterum vocabulis, qualia sunt illa *pigrare*, *gradibilis*, *matrescere*, *adulare*, (cui locum suum invidere non debebat recentissimus editor Suetonii II. p. 194.) rectene an secus seriores poetae perire passi sint, nunc non dixerim; certe non erat, quod hoc in linguae ipsius antiquitatibus cognoscendis positum studium morosius carperet Seneca, ut fecit Ep. CVIII.

Verum ipsi scriptores Romani ex tragoediae domesticae auctoribus profecerunt, inter quos reliquos ipsos poetas primo loco nominare lubet. Si plures ejusmodi commentarii, qualem Macrobii de Virgilio habemus Sat. VI. 1. [44]), de aliis item poetis aut a veteribus Grammaticis scripti essent, aut qui scripti, nobis relicti, certius id sine dubio et liquidius constaret. Nunc nonnisi levia hic illic vestigia cernere, plus minusve probabiles conjecturas expromere licet, ut in locis his: *Horat. Epp. I.* 18. 41. cfr. Winckelmann. Opp. ed. a Meyero et Schulzio V. p. 287. *Ovid. Met. IV.* 53. sqq. cfr. Boeckh. Trag. princip. p. 29. *Manil. II.* 585. *sqq.* cfr. Heinrich de Pacuvii Duloreste p. VI. Naeke

Plura, ut in re, si singulos locos spectes, tam multis dubitationibus obnoxia, apponere non lubet [45]); hoc autem addiderim, tragoediam etiam eo modo profuisse Romanae poesi, quod satiricorum carminum materiem aliquam praebuerit. Id ne quis a me in laudem tragoediae Romanae dici miretur, aut in re seria jocari me putet, cogitet, ipsius Graecae tragoediae dignitatem et majestatem comoediarum et parodiarum salibus

---

44) In *Livii Andronici* carminibus Horatius prima artis rudimenta posuit. Epp. II. 1. 69. Martialis theatra, ut ingenio materiem subministratura, desiderat. L. XII. praef.

45) V. Heynii Excurs. I. ad L. Aen. II. Mirifice scribit *Badenius* de causis neglectae a Romanis tragoediae p. 31. „Virgilium ex *Tragicorum poetarum contubernio Ptolemaeorum expolitorum* plurimum profecisse.“ Nimirum quae Heynius in Prooemio Aeneid. p. XX. scripserat, ex tragoediis graecis latine redditis plurimum Virgilium profecisse, et altero loco p. XXXIV. Alexandrinos poetas, Callimachum, Apollonium, Nicandrum, Aratum et alios Ptolemaeorum contubernio expolitos in oratione poetica conformanda Virgilium auctores habuisse, ea ille in unum consarcinavit.

exsplenduisse, quin inter signa tragoediae et a poetis felicissime excultae, et a populo studiosissime celebratae, hoc habendum esse, si reperiantur, qui, quae serio dicta sint et magno hiatu prolata, ingeniose et festive traducant. An comici latini ejusmodi luserint, qualia Aristophanes in Ranis, ignorare me fateor, apud Plautum vestigia certe hujus generis quaedam apparent, velut in Prologo Amphitruonis, Mil. Glor. II. 5. 1. sqq. Trinum. IV. 1. Pseudol. II. 4. 14. sed haud injuria inter παρῳδοὺς tragicorum referri existimo *Lucilium* Satirarum scriptorem. Facit huic opinioni fidem Horatius Sat. I. 10. 55. quocum conferendus Gellius XVII. 21. extr. et Joh. Lydus de magistrat. R. R. I. 41. Lucilium cum Rhintone, cujus poësis tota in hoc genere fuit, conjungens. Noluit tamen, ut videtur, severitas Romana committere, ut ioculari hac procacia tragoediae auctoritas publice dehonestaretur.

Minus quam poetae, *oratores* Romani interiorem cum tragicis familiaritatem contractam dissimulant, inprimisque Cicero eam quodam modo prae se fert, et coram senatu non minus, quam judicibus adhibet suarum sententiarum commendatricem. Apertius hoc facit, ubi inducit *Furias* (pro Roscio Am. c. 24.) vel *Oresten* (pro Milone c. 3. cfr. Popma ad Varronem L. L. VI. T. II. p. 179. ed. Bip.) vel *Medeam* (pro Coel. c. 7.) aut ubi singulos tragicorum locos, addito vel significato certe poetae nomine, laudat, ut Philipp. II. 27. pro Roscio Amerino c. 32. (ubi non necesse videtur cum Osanno l. l. p. 13. ad pristinam formam redigere velle, quod orator, ut fit, paullum immutaverat) pro Plancio c. 24. coll. pro Sextio. c. 48. pro Balbo c. 16. coll. de Off. I. 16. Alibi tectius admiscuit, quae tragicis deberi nos quidem latet, non item latuit tum audientium coronam; tamen et ex his plura prodiderunt aut veterum testimonia, aut alii loci comparati. Afferam ex utroque genere. Illa in Orat. pro Pison. c. 33. „*nunquam tibi*" — ex Attii Thyeste depromta, teste Asconio Pediano. Verr. II. L. I. 18. „*ita magni fluctus ejiciebantur*" — ex Ennii Achille, test. vet. Schol. — Item ex antiquis tragoediis Philipp. II. 3. „*o tecta misera — quam dispari domino*" cfr. de Offic. I. 39. Philipp. XIII. 21. — „*Antoniorum nec nomen nec facta*" cfr. Epp. ad Fam. VII. 28. 30. ad Attic. XII. 12. XIV. 11. Philipp. II. 3. „*illum interfecerunt — servati.*" cfr. Suet. Jul. 84. ibique Baumgarten-Crusius. Denique insunt in his orationibus, quae proprius quidam color ac tenor tragicis vindicat. Quae leguntur pro Caelio c. 24. „ex hac igitur domo — mulier — perhorrescet" Mureto ex Euripidis Hippolyt. v. 418. adumbrata videbantur; poterant et ex latino tragico Philipp. XII. 12. „Etenim Mars — pignerari solet." Comparat Garatonius ed. Wernsdorf. II. p. 577. Aeschylea et Sophoclea; ipsa latina verba tragicum quiddam spirant. Simile quiddam suspiceris in illis Philipp. XII. 10. „qui multorum custodem — esse oportere," aut in his in Catil. I. 5. „perge — egredere," si compares, quae Nonius ex Phoenissis adfert v. *elimina.* „Egredere exi, effer te ex urbe, elimina." — Gracchi nobilissima illa: *quo me miser confe-*

ram etc. Cic. de orat. III. 57. Quint. XI. 3. 8. dudum jam comparata sunt cum Ennii loco e Medea ab ipso Cicerone ibid. c. 58. laudato. Eundem aut Gracchum ipse Cicero imitatus est pro Murena c. 41. — Is vero mos non modo Ciceroni, sed aliis etiam oratoribus frequentatus. Testis Quintilianus I. 8. 11. „Praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium etiam et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii, Attii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis, cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirent.“ cfr. Dial. de causis corr. el. c. 20. Omnino autem pro ea, quae est inter artem oratoriam et tragicam, cognatione, agnita jam a Graecis (Plat. Gorg. §. 124. Aristoteles Probl. XIX. 15.) et ipsis Romanis, (Cic. de orat. III. 8. Brut. c. 55.) altera ab altera praesidia et artificia petiit, ita tamen, ut perpetua simul inter utramque contentio esset et aemulatio [46]. — Tragicorum gravitatem multum conferre posse ad oratorem informandum docet Quintilian. I. 8. 11. Tragica argumenta mature jam in rhetorum Romanorum scholis adhibita fuisse patet vel ex libris ad Herennium I. 10. 11. 16. II. 19. etc. In histrionum autem scholis futuri oratores, quae ad actionem pertinerent, didicerunt. Ita Cicero in disciplinam Roscii et Aesopi se dedisse fertur. Plut. Cic. c. 5. Dio Cass. XLVI. 8. cfr. Quintil. I. 11. quamquam is pro eo, quod potissimum sequitur, consilio nonnisi ad comoedum praecepta sua refert. Hinc Cicero perfecti oratoris virtutes comprehensurus: „In oratore acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poetarum, memoria jurisconsultorum, *vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum* [47]) est requirendus.“ de orat. I. 28. cfr. III. 22. Brut. c. 30. Quintilian. XII. 5. 5. A scena originem etiam habuit illa Gracchi fistula, de qua Salmasius ad scriptores H. A. II. p. 841. — Severa tamen lege a magistris eloquentiae cautum, ne sua ars scenicam aliquam speciem prae se ferret. Cic. de orat. I. 59. III. 59. de officiis I. 36. Brut. 88. coll. Gell. N. A. I. 5. Quintilian. I. 11. 3. VI. 1. 38. XI. 3. 57. 103. 123. Dial. de causis corr. el. c. 26. Iidem improbant, quod tragicorum portenta ad oratoriae artis commentationes advocentur, cfr. Dial. de caus. corr. el. c. 35. Petronius c. l. et interprett. ad Juvenal. VII. 150. Eadem severitate oratoriae artis affectationem si a tragoedia exclusissent seriores poetae, optime eidem consuluissent. Jam, dum neutra intra suos fines substitit, utraque pessumdata.

---

46) Levis ista narratiuncula de certamine Ciceronis et Roscii, Macrob. Sat. II. 10. fide sane caret. Inest tamen, quae mythorum fere est ratio, si non hominum, artium certe inter se decertantium ex vero ducta significatio.

47) Qualis ille esse debuit, quo quis significat, fecisse aliquem aliquid inscientem. Cic. pro Balb. c. 6. Caeterum illud *paene* quod legitur, quid sit, pluribus exposuit Cic. in libris de republ., si recte ceperunt interpretes ista in epp. ad Att. VI. 1. „οὐκ ἔλαθέ σε illud de gestu histrionis, ut sceleste suspicaris, ego ἀφελῶς scripsi.“

Sed veniendum est ad alia scripta, in quibus non minus vestigia assidui tragicorum studii deprehendas. Ac Cicero quidem et in philosophicis et in rhetoricis libris adeo creber est in tragicorum versibus ac sententiis laudandis, ut dubitari non possit, quin et iis, quibus libros inscripsit, et reliquis lectoribus vehementer se gratificaturum, et ipsi argumento insignem lucem ac gratiam conciliaturum pro certo habuerit. Idem fecit in epistolis, et sane „multum" ut scite Heinrichius l. l. p. III. „eam in partem valet, ut, quam familiariter eruditiores maxime Romani hoc litterarum genere usi sint, cognoscatur, et multum venustatis habet studium, quod cernitur in Cicerone, veteris tragoediae." — Verum et ibi non omnes tragicae personae suo se statim nomine produnt, velut ille Hector *Naevianus* (Epp. ad Fam. V. 12. VII. 6. 33. IX. 16. XV. 6. Tuscul. IV. 31. cfr. Seneca ep. CII.) aut Zethus *Pacuvianus* (de orat. II. 38.) Sed latent saepius, quae tragicis debentur, orationi ita intexta, ut odorari magis quam cernere vestigia liceat. Sed plura jam Criticorum sagacitas detexit; facilius hoc erat in ejusmodi locis, quales in Tuscul. V. 16. coll. Gell. II. 16. Epp. ad Atticum VIII. 11. coll. Tuscul. I. 42. (aut apud Senecam consol. ad Polyb. c. 30. coll. Tuscul. III. 13.) difficilius in aliis. Ita in Tuscul. II. 14. ista „nihil horum simile etc." primus suis numeris reddidit Scaliger ad Varronem d. L. L. VI. T. II. p. 170. ed. Bip. Paradox. I. 2. in verbis „quae patrem Decium devotavit" fragmentum Attii subesse, collato loco Nonii v. *devotare*, haud inepte suspicatur Kordesius ad Eberhardti librum p. 63. Idem (praef. p. VIII.) refert a Francogallo quodam in epp. ad Att. I. 18. versum ex Attii Philocteta haud infeliciter esse restitutum in hunc modum:

me tellus, non homo
Sed littus atque aer et solitas mera.

Ipse Heinrichius loco jam laudato, quae leguntur Tuscul. Quaest. l. I. 48. *Iphigenia Aulide duci se immolandam jubet, ut hostium sanguis eliciatur suo* ad canticum Iphigeniae Euripideae v. 1475. sive e graecis ab ipso Cicerone conversa, sive e latinis Ennii relata fuerint, revocanda esse acute vidit.

Verum non modo ornamenta quaedam ac lumina litteris passim distribuit tragoedia, sed eadem omnino valuit ad erudiendos et multiplici cognitione, ac scientia augendos subigendosque Romanorum animos. Quam laudem communem quidem habet cum tota poesi, eo tamen ampliorem, quo latius haec vim suam explicare, altiusque in hominum mentes descendere solet. A tragicis, ut uno hoc exemplo defungar, prius quam a Lucretio, Varrone, Cicerone, philosophiae nomen acceperunt, et „*paucis* certe *philosophari*" didicerunt, ut est apud ipsum Ennium cfr. Fragment. ed. Hessel. p. 303. neque illam Zethi et Amphionis apud Pacuvium de musica inductam controversiam, et in sapientiae rationem et virtutis utilitatem consummatam, v. ad Herenn. II. 27. coll. de Orat. II. 37. aut, quae apud eundem de fortuna philosophicis rationibus disputabantur,

ad Herenn. II. 23. cfr. Scaliger ad Tib. I. 5. 70. audire potuerunt, quin indidem altioris cogitationis quasi quaedam semina, suos aliquando fructus habitura, reciperent. Ita, ne longior sim in re jam per se plana, accidit, quod vult Varro apud Nonium. v. *Ignoscite.*

> Vosque in theatro qui voluptatem auribus
> Huc aucupatum concurristis domo,
> Adeste, et a me quae feram ignoscite,
> Domum ut feratis e theatro litteras.

Neque vero nullam artis tragicae ad reliquas artes elegantiores varie exornandas efficaciam fuisse, facile sibi persuadebit, qui, quam arcto hae omnes inter se vinculo cohaereant, quam se mutuo incendant, alant, expoliant, secum reputaverit; qui, quae fuerint Romanorum ingenia, quae vitae eorum publicae privataeque rationes; qui, quas istae artes apud eosdem habuerint origines, quae incrementa, attente consideraverit, si quis unquam earum sensus cultusque Romae exstiterit, eum scenicis potissimum ludis deberi largietur. De *Saltatione* et *Musica* sponte patet, quarum non tam societas quaedam cum actione scenica fuit, quam ea ratio, ut haec sine illis nulla esset. Tragoediae igitur fuit, quod non modo, quae propria ei est, Graecorum ἐμμέλεια, sed omnis gravioris gestus lex [48]) Romanis innotesceret; ejusdem, quod severiores cantus modosque addiscerent [49]). Sed *pingendi* etiam *fingendique* artificia tum ad exornandam scenam tam varie adhibita, tum ex scenicis actionibus tam variam materiem nacta sunt et opportunitatem, ut non tam dubitandum videatur, multum inde has artes ad sensum certe populi gustumque profecisse, quam mirandum, pauciora, quam putes, ejus rei apud veteres scriptores

---

48) Hoc nomine apud Quintilian. I. 11. 17. quae chironomia alias, sive saltatio. Gestus quosdam tragicos refert Pollux Onom. IV. c. XIV. s. 105. cfr. Salmasius ad scriptt. H. A. p. 836. Eodem retulerim Nemesios quandam significationem in loco Plinii H. N. XI. 103. a Mausone in Miscell. scriptis p. 321. illustrato; itemque moestitiae, de qua scripsi in libro a Welckero edito qui inscribitur: Zeitschrift für Geschichte der alten Kunst I. B. 5. Heft. S. 497. Praeter locos istic laudatos cfr. Apoll. Rhod. III. 122. Theocrit. XVI. 11. Plut. Cat. 56. et gemma apud Begerum in Bello et Excid. Troian. p. 31. Optimo sculptori saltatorem praefert Libanius. Opp. ed. Reisk. III. p. 592. Plures scenicae saltationis species ac modos oculis adhuc subjectos habemus in antiquis monumentis, praecipue in vasorum picturis cfr. Genellius de theatro Atheniensium p. 147. sq. et Böttigerus passim in iis locis, quos statim subjungemus.

49) Cic. de legg. II. 15. Acad. II. 7. De Musica scenicis fabulis adhibita scripserunt du Bos (L. l. P. III.) Burney (über die Musik der Alten übers. v. Eschenburg. S. 173. sqq.) Genellius (über das Theater d. Ath. S. 105. sqq.) alii. Multa tamen in hoc loco perobscura, et vix unquam clariora futura. Musicen suo tempore in scenis effeminatam et impudicis modis fractam, communis querela est Quintiliani (I. 10. 31.) et Plutarchi (de musica passim. Sympos. IX. 15.) Fuerunt tamen, qui veterum tragicorum canticorum et ecclesiasticorum nostrorum hymnorum priscos modos eosdem esse statuerent. cfr. du Bos. III. p. 270. Vatry sur la Recitation des tragédies anciennes. Mémoires de l'Acad. des Inscript. T. XI. ed. Amst. p. 348.

exstare indicia. Quae rimari et undecunque colligere omnia, adhibitis, quatenus ejus fieri possit, veteribus monumentis, operae quidem pretium foret, sed item operosius, quam quod hujus libelli brevitas capiat [50].

In *moribus* et animis ad virtutem honestatemque conformandis si quaeratur, utrum aliquam potentiam tragoedia apud Romanos habuerit, difficile sane est, interiores pectorum recessus, hominumque sensa qualia fuerint aetate tam remota, perscrutari velle, et qua potissimum via aditus ad animos patuerit, declarare. Etsi autem hoc tantum nobis imposuimus officii, ut certa rerum testimoniorumque fide, non conjectando et hariolando id, quod volumus, assequamur, tamen haud verendum hoc in loco est, ne a vero aberrare videamur, ubi viderimus ex insita illa Romanorum ferocia paullatim enasci mansuetudinem, inter atrocia facinora et animorum immanitatem retineri humanitatem, inter abjectam seriorum temporum humilitatem vindicari morum dignitatem et excelsiores animi sensus, si inter ea, quae hanc mutationem et has virtutes effecerint, tragoediae quoque suum locum meritumque concedamus, praesertim quum religio, cujus

50) In veterum monumentis artis, quae dicitur, plasticae multa fuisse et adhuc reperiri, quae ab arte scenica profecta sint, omnino utramque arcta se invicem necessitudine contigisse, nemo dubitat. Post Winckelmannum hoc docuerunt quum alii v. c. *Millinus* (Description d'une Mosaique antique du Musée Pio-Clement. Paris 1819. l'Orestéide etc.) *Uhdenus* (über Iphigenia in Aulis und Tauris nach alten Werken der bildenden Kunst) *Génellius* (über das Theat. p. 89. sq.) tum *Böttigerus*, cujus doctrinae et sagacitati multa in hoc genere felicius enucleata et clarius explicata debentur. (cfr. ejus proluss. de personis scenicis Vim. 1794. quid sit fabulam docere P. I. et II. Vim. 1795. 96. de quatuor aetatibus rei scenicae. Vim. 1798. p. 6. Erfindung der Flöte Att. Mus. I. B. 2. H. S. 319. ff. 354. ff. Andeutungen. S. 81. 149. Vasengemälde II. S. 189. 223. Amalthea II. S. 287. ff.) Sic parietum picturam per Ludium Augusti aetate productam Plin. H. N. XXXV. 10. extr. a scena originem habuisse, ex iis conficitur, quae secundum Vitruv. VII. 5. 2. disputaverunt Böttigerus (quid sit fabulam docere II. 4.) et Stieglitzius (Archaeolog. Unterhalt. I. p. 189.) Locus hanc in rem valde memorabilis exstat in ep. Greg. Nyss. 6. quem laudat Müllerus de genio etc. II. p. 109. sq. De singulis monumentis ad poetarum locos scenicasve actiones referendis res est ancipitis admodum arbitrii, et inextricabilis fere dubitationis, quum saepius incerta sit operis ipsa significatio, incertissimum fere, cujus aetatis sit, artifex an omnino poetam, artificem poeta, an artifex poetam, quem artificem poeta, quem poetam artifex secutus sit, decernere. Ita Winckelmannus opus quoddam, quod in Monumentis ineditis descripsit n. 85. retulit ad Antiopen Euripideam. Nihil autem prohibebat, quo minus ad latinam hujus argumenti aliquam fabulam Ennii aut Pacuvii proxime referretur. Idem, ni fallor, fieri possit in opere rudioris quidem at Romanae certe artis Iphigeniam Tauricam exhibente, quod nuper in Belgis repertum accepimus. (Kunstblatt 1822. n. 3.) fortasse et in Opere illo Musivo Lorii reperto, quod Millinus in libro supra laudato descripsit. Neque plane nullius ad nostram quaestionem momenti habuerim, quod Timomachus Caesari pinxit *Aiacem* et *Medeam* (Plin. XXXV. 11. s. 30. cfr. Ovid. Trist. II. 525. Böttiger de Medea Euripidea cum priscae artis Opp. comparata. p. I.) Asinius Pollio in monumentis suis collocavit *Farnesinum*, qui nunc dicitur, *taurum* (Plin. XXXVI. s. 4. 10. cfr. Heyne: Antiquar. Aufsätze II. 184. sq. Schlegel. Vorles. über dram. Litt. II. S. 19.) Titus Imperator in domo habuit *Laocoontem*. (Plin. XXXV. 4. s. 11.) Quae Seneca in tragoediis ad artis opera attemperasse videatur, erudita nuper industria collegit Badenius. (Loca Senecae ex antiquis Monumentis illustrata. Miscell. Critica ed. Friedemann et Seebode Vol. I. p. 105. sqq.)

summa est vis ad regendas et attollendas hominum mentes, apud populum Romanum non eam, qualis, ut hoc valeat, esse debet, indolem habuerit et formam. Quam igitur vitae moderatricem et emendatricem Graeci jam laudarunt tragoediam, (cfr. Timoclis dicta apud Athen. L. VI. c. I. p. 223. Liban. T. III. ed. Reisk. p. 391.) eandem expertos esse Romanos, et quod sapientissimus morum arbiter, et rerum suique aestimator M. Antoninus de se ipso praedicat XI. 6., id ad totum quodammodo populum valuisse consentaneum est. Erat autem, ut singula quaedam afferam, sermo tragicus, ut ad omnem verecundiam et severitatem compositus (cfr. Cic. epp. IX. 12. August. de civ. Dei. II. 8.), ita plenus sententiarum, quibus utile ad vitam praeceptum monitumve contineretur. Romani enim, si quis alius populus, sententiosae hujus sapientiae amantissimi. Quint. VIII. 5. Seneca Controv. II. 14. cfr. III. 18. IV. 24. 28. Dial. de causs. corr. el. c. 20. Gell. XVII. 14. Macrob. Sat. V. 16. Ejusmodi dicta si in scena omni tragico ornatu et, ut ita dicam, comitatu instructa proferrentur, velut talia, „Flagitii principium est nudare inter cives corpora“ (Cic. Tuscul. IV. 33.) „Nimium boni est cui nihil est mali“ (de Fin. II. 13.): „Proinde ita parent se in vita, ut vinci nesciant“ (Tuscul. V. 18.) si gravi sono pronunciata ad aures spectantium acciderent, nonne ad sensum quoque graviorem commovendum, et ad excitandos pariter atque moderandos affectus contulisse censeamus? Quid? quod planissime Seneca ep. CVIII. „Non vides quemadmodum theatra consonent, quoties aliqua dicta sunt, quae publice agnoscimus, et consensu vera esse testamur? — Eadem negligentius audiuntur, minusque percutiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur; ubi accessere numeri, et egregium sensum astrinxere certi pedes, eadem illa sententia velut lacerto excussa torquetur.“ Hinc factum, ut tales sententiae a multis usurparentur. cfr. Vopiscus in Numeriano c. 13. aut in proverbiorum quodammodo consuetudinem abirent. „Amicus certus in re incerta cernitur“ Cic. Lael. c. 17. „male parta male dilabuntur.“ Naevius apud Fest. Partus. Cic. Phil. II. 27. „Sero sapiunt Phryges,“ Cic. Epp. ad F. VII. 16. „laudari a laudato viro.“ Symmach. I. 3. alia. Non nunc curamus Plautum de obliviosa hominum levitate festive querentem Rud. IV. 8. 23. sqq. non asotos Comicorum Epicurea in ore ferentes, Cic. de fin. II. 7. 22. et ne de tragicorum quidem minus honeste dictis populi plausu exceptis Cic. de div. II. 50. Senec. ep. CV. coll. Valcken. Diatrib. p. 165. multum laboramus. Rei indecorae non indecoram causam aptamque excusationem addidit Cic. de Offic. I. 28. „Tum servare illud poetas, quod deceat, dicimus, cum id, quod quaque persona dignum est, et fit et dicitur, ut si Aeacus aut Minos diceret „Oderint, dum metuant!“ — aut „Natis sepulchrum ipse est parens“ indecorum videretur: quod eos fuisse justos accepimus, at Atreo dicente, plausus excitantur; est enim digna persona oratio. „cfr. III. 26. 29. Lael. c. 25. 93. Ex personis autem et actionibus ipsis tragicis non modo religiosus quidam metus et salubris horror animis injectus

(Cic. de offic. III. 26. f. 97. 98. et 29. s. 104.) non modo commendata fortitudo, constantia animique elatio (Cic. Tuscul. III. 13. 31. de Offic. I. 18. s. 61.) sed teneriores etiam miserationis humanitatisque sensus animis instillati sunt, id quod, quandoquidem jam supra pluribus exemplis probavimus, uberius nunc persequi non attinet [51]). Quodsi tragoediae sua scelera exprobrat Cicero contumeliosius de Nat. D. II. 26. 27. aut Sat. VI. 651. sqq. Juvenalis eorum adspectu horrendo non deterreri malos ac perditos homines, quin similia committant, queritur, alter poeseos et ethices rationes probe discernendas et scelera proponi, non commendari optime ipse scivit, alter exagitat, quod in istarum quidem mulierum foeditate, quin aetatis ingravescente labe aliter fieri non potuisse credas.

Nunc, quoniam tragoediae propria haec est laus, ut non modo quae contra leges civitatis, sed ea etiam, quae ultra eas perpetrata sint, severa vindicta persequatur, haberique possit quasi pro supplemento ejus potestatis, quae in quaque civitate bene ordinata legibus atque institutis esse debet [52]), apud Romanos quoque, si mores spectentur, eam non modo ad singulos cives, sed *ad totam rempublicam* pertinuisse et per se jam probabile est, et haud obscuris per historiam Romanam vestigiis cognoscitur. Quibus res postulat ut adhuc paullum immoremur. Non nimium tribuam iis tragicorum sententiis, quibus quid reipublicae salutare esset, quid eos, qui cives regerent, deceret, tanquam missa de coelo voce doceretur. Quanquam in his insunt plura gravissimi ponderis et genero-

---

51) In ludis, quos Cn. Pompejus in dedicando templo Veneris una cum theatro dedit, extremus elephantorum dies fuit, quorum pugnam quo animo vulgus spectaverit, Cicero, qui ipse spectantibus interfuit, significat (Epp. ad Fam. VII. 1.), disertius tradit Plin. H. N. VIII. „Amissa fugae spe misericordiam vulgi inenarrabili habitu quaerentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris et munificentiae honori suo exquisitae flens universus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur.“ Eadem apud Dion. Cass. XXXIX. 38. I. p. 209. ed. Reim. Haec qui dicat in populum omnis humanitatis expertem cadere non posse, neminem facile habebit dissentientem, fortasse et aliquos, qui consentiant iis, qui in iisdem vim quandam tragoediarum per illos dies spectatarum putet esse declaratam.

52) V. Lessing. Hamb. Dramat. I. 49. sqq. Schiller. die Schaubühne als moralische Anstalt betrachtet. Werke II. S. 389. ff. Herder, Briefe zur Bef. der Hum. III. 12. de tragicorum Graecorum cum republica necessitudine sigillatim egit A. L. Guil. Jacob. in Sophocleis Quaestionibus. Varsav. 1821. I. p. 159. sqq. ubi et laudatos reperies, qui antea hunc locum tractarunt, adde, quae de Aeschyli Persis triumviri doctissimi Fr. *Jacobsius* (in Wielandii Museo Attico. T. IV. 1.) *Hermannus* (Lips. 1814.) *Passovius* (Meletemat. Crit. in Aeschyli Persas Vratislav. 1818. p. 7. sqq.) commentati sunt. De externa quidem tragoediae cum reliquis civitatis institutis conjunctione, quam cum reliqua poesi scenica communem habet v. c. de legibus theatralibus (cfr. Interprett. ad Cic. Phil. II. 18. T. I. p. 305. ed. Wernsdorf. et ad orat. pro Murena. c. 19. Lips. excurs. ad Tacit. Annal. III. 25. XV. 32. Torrentius ad Suet. Ner. c. 11. Stockmann. de legibus Rom. theatralibus. Lipsiae 1782. Ejusd. de lege Julia theatrali. Ibid. 1800. Ejusd. ad SCtum de disciplina spectaculorum commentatio. Ibid. 1801.) de histrionum licentia publica auctoritate coercita (cfr. Tac. Annal. I. 54. 77. IV. 14. XIII. 26. 28. XIV. 14. 15. Hist. II. 62. Gell. N. A. III. 3. Val. Max. II. 4. 1.) de favoris aut odii in theatris significatione, (Cic. epp. ad Att. I. 16. XIV. 2. Epp. ad F. XII. 2. Plutarch. in Paull. Aem. extr.) et aliis hujuscemodi non hujus loci videbatur pluribus disserere.

sissimae libertatis. „Qui recte consulat, consul fuat.“ „Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant alienas, suas ut auro locupletent domos.“ „Probis probatum potius quam multis fore“ „Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni.“ Haec omnia sunt Attii animosi sane oris poetae; alia apud alios, inter quos Senecam nunc quidem licebit referre. Multum autem valuisse totam tragoediam ad populi studia de republica excitanda et acuenda, eo quod, quae in scena agerentur, ad eam mirifico aliquo tragicae poeseos instinctu transferrentur, vel unus ille locus in Cic. epp. ad Att. II. 19. satis declaret. „Ludis Apollinaribus Diphilus tragoedus in nostrum Pompejum petulanter invectus est. *Nostra miseria tu es Magnus*, millies coactus est dicere. *Eandem virtutem istam veniet tempus, quum graviter gemes*, totius theatri clamore dixit, itemque caetera. Nam et ejusmodi sunt ii versus, ut in tempus ab inimico Pompeii scripti esse videantur. *Si neque leges neque mores cogunt*, et caetera magno cum strepitu et clamore sunt dicta.“ Hinc non frustra indignatur M. Brutus [53]) Antonio, quod *Tereum* non *Brutum* dederit (Cic. epp. ad Att. XVI. 2. 5.). Hinc in funere C. Caesaris decantata quaedam ex Pacuvii Armorum judicio et ex Electra Attilii [54]) v. Suet. Jul. c. 84. Appian. B. C. II. 146. Et vere aliquando tragoedia fuit et adjutrix bonorum, et vindex malorum. Cic. pro Sext. c. 56—58. ubi haec in fine: „Neque poetae, quorum ego semper ingenia dilexi, tempori meo defuerunt; eaque populus Romanus non solum plausu sed etiam gemitu suo comprobavit. Utrum igitur haec Aesopum potius pro me, aut Attium dicere oportuit, si populus Romanus liber esset, an principes civitatis? Nominatim sum appellatus in Bruto; *Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat*, millies revocatum est. Parumne videbatur populum Romanum judicare id a me et a senatu esse constitutum, quod perditi cives sublatum per nos criminabantur.“ Quid vero? quamquam ab Augusti inde imperio (de cujus artibus ac studiis cfr. Dio Cass. LIV. 17. Tacit. Annal. I. 54. Macrob. II. 7. Interprett. ad Horatt. Epp. II. 1.) tragica poesis magis deinceps magisque obmutescere, aut in servilem adulationem vergere coepit, (v. Plin. Paneg. c. 54. ibique Schwarz.) pristinam tamen cum generosiore voce dignitatem tum quoque identidem re-

---

53) Maluit hic tragoediae materiem, quam stilum commodare; (Cic. ad Att. XV. 12. coll. de nat. deor. III. 29.) nam carmina, quorum auctor fertur apud Tacit. de causs. corr. el. c. 21. a tragica severitate alieniora fuisse videntur cfr. Plin. Epp. V. 3. Merian von dem Einflusse der Wiss. II. S. 343. sqq. Tragicis tamen ingeniis eum admodum favisse vel inde colligas, quod Cicero quotquot ei inscripsit libros, multis tragicorum locis exornavit. Quin tragico dicto moriens vitae illusisse perhibetur. v. Plut. Brut. 6. 51. Dio. Cass. XLVII. 49. id quod tragicus nostras Talboti morientis sermoni accommodavit.

54) Aptissima fuerint illa Sophoclea in Electra. v. 245. sqq. *εἰ γὰρ ὁ μὲν θανὼν — γᾶ τε καὶ οὐδὲν ὢν — κείσεται τάλας, οἱ δὲ μὴ πάλιν — δώσουσιν ἀντιφόνους δίκας, — ἔῤῥοι τ᾽ ἂν αἰδὼς, ἁπάντων τ᾽ — εὐσεβία θνάτων.* Ad rem comparari possunt, quaé de Palamede Euripidea narrantur. cfr. Valck. Diatrib. p. 190. Boeckh. Trag. princ. p. 185.

sumsit. cfr. de Mamerco Scauro Dio Cass. LVIII. 24. Tac. Annal. VI. 29. de Curiatio Materno Dial. de causs. corr. el. c. 2.

Posteaquam vero, tota re scenica in praestigiarum deformitatem et vitiositatis sentinam prolapsa, Christianae ecclesiae doctores, quicquid ad theatra et histriones et spectacula pertineret, sacro quodam ardore indignabundi, ut rem abominandam dirisque exsecrandam, condemnarant [55]), ingruente Romani imperii excidio, omnis vis ipsumque nomen tragoediae exspiravit, quam, ut gentilium deorum consortio contaminatam, nec gravitas sua, nec magni quondam nominis celebritas ab interitu potuit vindicare [56]).

Exposui, qualis mihi tragoediae apud Romanos ratio fuisse videatur; „quae movebant," ut Quintiliani adhuc verbis utar, (VI. 3. extr.) „dissimulanda mihi non fuerunt: in quibus ut erraverim, legentes tamen non decepi, indicata et diversa opinione, quam sequi magis probantibus liberum est."

---

55) Salvianus de provident. Dei. L. VI. p. 150. ed. Ven. 1690. „Spectacula et pompae etiam juxta nostram professionem opera sunt diaboli." Idem ad Trevirenses p. 152. „Si quando usu venerit, quod scilicet saepe evenit, ut eodem die et festivitas ecclesiastica et ludi publici agantur, quaero ab omnium conscientia, quis locus majores Christianorum virorum copias habeat, caveane ludi publici, an atrium dei? et templum omnes magis sectentur, an theatrum? dicta Evangeliorum magis diligant an thymelicorum? verba vitae an mortis? verba Christi an verba mimi?" etc. Plures in hanc rem patrum locos congessit Vossius Inst. Poet. II. c. 39. Millesius ad Cyrillum p. 280. ed. Oxon. add. Schwarz. de certaminibus poetarum p. 90. Reinhard. Christliche Moral. P. III. p. 113.

56) Tragoediam, Aristoteleamque de ea doctrinam aperte notat Augustinus, ubi dicit, scenicis fabulis non *purgari* sed irritari affectus. Confess. L. III. 8. Eadem severitate judicant Clemens Alex. Admonitio ad gent. ab init. Cyprianus Epp. II. 2. Lactantius Institut. VI. 20. Basilius de legendis gent. libris c. 17. In comoediam mitiores aliquanto Augustinus certe et Hieronymus fuisse traduntur. cfr. August. Serm. 198. Fabric. bibl. Lat. ed. Ernesti I. p. 5. Lessing. Werke. T. XX. p. 288. Hinc accidisse putem, ut comoediae plures servarentur, tragoediae ad unum omnes interirent, exceptis Senecae declamationibus, quibus ob notas satis causas parcitum, neque adeo mirandum a Sollio Apollinari in recensu illo scriptorum Latinorum veterum admodum notabili (Carm. XXIII. v. 145. sqq.) Terentium quidem et Plautum, sed nullum veterum tragicorum commemorari.

PARERGA.

I.

Loci quidam Diomedis et Donati tractati.

Dum haec scribebam, subnatae mihi sunt quaedam opiniones et conjecturae, quas quum eruditorum judicio subjicere cuperem, viderem tamen, etsi non argumento, tamen consilio meo esse alieniores, in hunc locum reiiciendas putavi.

Quantivis profecto pretii sunt, quae *Diomedes* Grammaticus de re scenica veterum ex antiquioribus scriptis retulit. Tamen ea ipsa, quibus ad alios aut explicandos aut emendandos locos saepissime magno cum fructu usi sunt Critici, nondum sunt aut explicata aut emendata omnia. L. III. p. 486 ed. Putsch. leguntur haec: „Antea galeris, non personis utebantur, ut qualitas coloris indicium faceret aetatis, quum essent aut albi, aut nigri, aut rufi. Personis vero uti primus coepit Roscius Gallus, praecipuus histrio, quod oculis obversis erat, nec satis decorus *in personis* nisi parasitus pronuntiabat." In his inesse, quae secum et cum aliis aliorum locis pugnare videantur, explicatius docuit Reuvensius Collect. Litt. c. II. p. 8 sqq. Quam ibi Lennepii tradit rationem vocabulum *personis* in fine non de larvis sed de partibus sub histrione actis accipientis, eam recte refellit; ipsi autem vocabulum *parasitus* suspectum, illud in *personis* pro glossemate habet, legendumque putat: „nec satis decorus *nisi personatus* pronuntiabat." Mihi illam Roscii in parasiti partibus agendis sollertiam illibatam servari, locumque totum leniori remedio sanari posse visum est, si legatur „nec satis decorus *sine personis* nisi parasitus pronuntiabat" *). In ipsa re difficultas quaedam remanet, si compares alia, velut Cic. de orat. II. 46. „Saepe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis [histrionis] viderentur." Eam, si qua est, sciti cujusdam Francogalli malo, quam meis verbis expedire. „Roscius, ait Fraguerius in Commentario de Roscio Comoedo (Mémoires de l'Acad. des Inscr. T. VI. p. 121. ed. Amst.) tiroit un grand avantage du masque, dont l'ombre déroboit en partie le défaut de ses regards, mais ne lui couvroit pas assez les yeux, pour cacher le feu, que la passion y allumoit." Ad ea autem, quae de galeris h. l. commemorantur, referendum fortasse fragmentum Varronis de actione scenica apud Charis. I. col. 61. ed. Putsch. 2. et Quadrigarii apud Non. v. Reticulum.

Diomedes autem paullo inferius p. 489 scribit, Pantomimum et Pythaulen (qui canticis praecineret) et Choraulen (qui choricis) in Comoedia cecinisse, deinde vero nolentibus cedere Mimis in artificio suo caeteris separationem factam reliquorum. „Nam" pergit, „dum potiores inferioribus, qui in omni ergasterio erant, servire dedignabantur, se ipsos a comoedia separaverunt." Illu-

*) Nondum me coniecturae poenitet, e qua rescripsi in Catull. Epithal. v. 83. pro „*ne funera*", „*sine funere.*" (Act. Sem. phil. Lips. ed. Beck. V. II. P. 1. p. 185.) ad quam stabiliendam addam nunc Ovid. Trist. V. 1, 48. Rutil. Itin. I. 518. Seneca ep. LXXXII. ubi est „vivi hominis sepultura."

stravit hunc locum G. A. B. Wolffius in Prolus. de actibus et scenis apud Plautum et Terent. Gub. 1813. p. 12 sq. Illud autem in *omni* ergasterio (s. magisterio, ut in all. libris. est) incommode admodum dictum; multumque, opinor, locus iuvatur, si emendes: in *communi* ergasterio.

De *modis canticorum* insignis est Donati locus in libello de tragoedia et comoedia, quem singulari cura tractarunt Böttigerus de quatuor aetatibus etc. p. 15. Wolffius de actibus et scenis etc. p. 19 et Hermannus de cantico in Romanorum fabulis scenicis p. VII sq. Verba Donati haec sunt: „Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis: ut significant, qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui hujuscemodi modos faciebant, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebant. Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur." Quibuscum congruunt, quae in praef. ad Adelph. leguntur. „Saepe tamen mutatis per scenam modis cantica mutavit, quod significat titulus scenae habens subjectas personis litteras M. M. C." *) Ostendit Hermannus ei scenae, in qua canticum esset mutatis modis, litteras M. M. C., quae mutari modos cantici indicarent, praemissas, ipsi autem cantico suis locis additos numeros I. II. III. ut, ubi fieret ista mutatio, intelligeretur. Haec probabiliter sine dubio et vere. Haereo tamen adhuc in numero ternario, pro lubitune ille adsumtus fuerit, an, quod probabilius est, ad certam quandam modorum divisionem, quae fere tripartita esset, attemperatus. Apponam igitur luculentum Aristidis locum de Musica L. I. Ant. Musicae auctt. ed. Meib. Vol. II. p. 30. unde harum rerum peritiores, quid huc pertineat, conjiciant.

Διαφέρουσι δ' ἀλλήλων αἱ μελοποιΐαι· γένει· ὡς ἐναρμόνιος, χρωματική, διάτονος· συστήματι· ὡς ὑπατοειδής, μεσοειδής, νητοειδής. τόνῳ· ὡς δώριος, φρύγιος, λύδιος. τρόπῳ· νόμικῷ, διθυραμβικῷ, τραγικῷ. ἤθει· ὡς φαμὲν τὴν μὲν συσταλτικὴν, δι' ἧς πάθη λυπηρά κινοῦμεν· τὴν δέ διασταλτικήν, δι' ἧς τὸν θυμόν ἐξεγείρομεν· τὴν δέ μέσην, δι' ἧς εἰς ἠρεμίαν τὴν ψύχην περιάγομεν.

Negat autem Hermannus, *scriptorem* satis apte hoc in loco de poeta accipi, et intelligendum putat illum musicae peritum, qui modos fecerit. Id vero mihi non persuasit. Quod tanto viro, eidemque meo praeceptori obloqui nunc audeo, eius ipsius disciplinae quadam facio fiducia, e qua bene memini, quam patienter acerrimus ille studiorum exactor ferret, qui aegre, quam aegre, qui patienter consentirent. Nam, ut ad locum illum revertar, ut scriptor, qui simpliciter dicitur, saepius est poeta, v. c. Horat. Epp. II. 1, 62. ita vereor ut unquam, ne additis quidem aliis, scriptor dicatur, qui artis musicae peritus sit. Quum autem ea nomina commemorarentur, quae in fabulae initio scribi solerent, poterat et poetae mentio fieri, quanquam a re, de qua nunc maxime ageretur, alieni. Accedit, quod mirum est, si ii, qui modos fecerint, nomen superposuisse dicantur, denique offensiunculam aliquam habet duplex *et* in hoc loco positum. Vossius (Institut. Poet. II. 18. 9.) correxit sic: „Qui huiusmodi modos faciebant, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris et suum superponebant." Ita magna audacia exigua difficultatum

---

*) Quae statim subjiciuntur: „Item Diverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, quae significantur D. et M. litteris (i. e. Diverbia Mutata) secundum personarum nomina praescriptis in eo loco, ubi incipit scena." (cfr. praef. ad Eunuch. Schopen de Terent. et Donato p. 47 sq.) ea, fateor, mihi satis adhuc sunt obscura.

pars sublata. Wolffius l. l. p. 19. in hunc modum: „qui huiusmodi modos faciebant, iis nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebatur." Verum, ut in hoc subsistam, ita remotior etiam a nexu praecedentium esset haec enuntiatio, quum non tam id exspectetur, poetae et actoris nomina fuisse superposita, quam ejus, qui modos fecisset. Equidem voculam *illius* praegressae enuntiationi male adfixam, et in sequentem retrahendam sicque scribendum puto: „qui tres continent mutatos modos cantici. Illius, qui hujuscemodi modos faciebat, nomen et scriptoris et actoris superponebant." *Faciebant* perperam scripserunt, qui putarent, pertinere illud ad ultimum *superponebant.* Quod vero nunc primi commemorantur musicae periti, deinde scriptores et actores, id facile intelligitur e nexus ratione pendere. Inverso ordine alia de causa eosdem recenset Cic. de orat. III. 26.

Neque vero Hermanno adsentiri possum in reliqua hujus loci emendatione. Nam illa „carmina ad tibias fiebant" mutat in „carmina *assis tibiis* fiebant." Quod cur fecerit, nondum perspicio. Nam ea, quam ipse requirit, sententia, tibicinem modos eos cecinisse, qui deinde canticis essent adhibendi, ex recepta lectione optime procedit, modo ista „his auditis" non ad carmina, sed ad tibias referantur. Plane huc facit locus Cic. Acad. II. 20. quem vix dubito, quin ipse scriptor in mente habuerit. „Quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt aut Andromachen, quum id nos ne suspicemur quidem." Cantica certos suos modos habuisse patet et ex Tuscul. III. 19. „praeclarum carmen: est enim et rebus et verbis et *modis* lugubre."

II.

Actores Graeci. Actus tertius. Monitores.

Apud Ciceronem Divinat. in Verr. c. 15. comparatio est Allieni cum actoribus Graecis: „Ut in actoribus *Graecis* fieri videmus: saepe illum qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum submittere, ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Allienus" etc. Illustravit hunc locum Böttigerus „de actoribus primarum etc. p. 11 sq. non tamen dixit, quid sibi velint actores *Graeci.* Cur enim graecos nunc actores adfert? Nonne idem fecisse existimandi sunt latini (cfr. Horat. Sat. I. 9. 46. Epp. I. 18. 14.); et si vel maxime graeca fuerint Latinarum fabularum argumenta, quis graecarum latino habitu indutarum fabularum actores dixerit *graecos?* Non magis incommodi *latini* actores apud Quintil. XI. 3, 74. olim lecti, nunc a criticis merito ejecti. *Artifices* recte poterat orator in simili comparatione appellare *Graecos*, pro Muren. c. 13. — Num ad *Graecos* forsitan, qui Romanis dicerentur, *ludos* referendi? Hos scenicos fuisse, quod voluerunt Popma, Mongaulfus, alii ad Cic. epp. ad Att. XVI. 5. nondum credo. Athletarum fuisse, vix dubium esse poterit comparanti, quae epp. ad Fam. VII. 1. et apud Liv. XXXIX. 22. leguntur. Et si vel scenici fuissent, quorsum nunc horum potissimum significatio?

Has fere ob causas jam Valckenarius (Diatribe p. 182.) maluit legere *tragicis.* At idem factum in comicis, id quod vel is locus docet, (pro Flacco. c. 27.) quem Schützius ad vulgatam lectionem aliquo modo defendendam adtulit. Legendum statuo *scenicis* sive, ut olim scriptum est, (cfr. Salmasius ad scrippt. H. A. p. 844. Schneider. Element. der lat. Sprache I. 54. Creuzer. ad Cic. de nat. deor. p. 642.) *scaenicis.* Artifices scenici apud ipsum Cic. pro Arch. c. 4. actores

scenici apud Quint. VI. 1. 26. XI. 3, 4. Sermo antea fuerat de alio actore, forensi scilicet, cui Graecus incommode admodum oppositus fuisset. At si quod in vulgata lectione vitium inest, id satis antiquum esse debuit; istam enim jam habuit Asconius, quamquam is ipse subpubitat, dum quaerit: „an ideo actores graecos dixit?"

Difficilior est alius loci explicatio, qui a simili re petitam continet comparationem. Epp. ad Q. fr. I, 1. extr. „Illud te ad extremum et oro et hortor, ut tanquam poetae boni actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui tanquam *tertius* actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur." Enimvero quinque actibus fabula apud Romanos constabat *), quintus igitur extremus. Tamen non audiendi sunt, qui *extremus* aut *ultimus* legere malunt. Nihil enim, ne quid de codicum fide moneam, paene inde lucri. Nam vel sic extremus actus ita positus est, ut tertius extremus dici videatur. Brevius, at recte, explicuit vulgatam jam Manutius sic: „hic tertium annum imperii, quasi ultimum actum in fabula, accipit, quando in administratione provinciae ultimus est; sit, inquit, ita ultimus annus in provincia perfectus, ut est ultimus actus in fabula." Quam explicationem confirmaturus non addam, nisi locum M. Antonini. XII. 36. nondum, quod sciam, comparatum: *Οἷον εἰ κωμῳδὸν ἀπολύει τῆς σκηνῆς ὁ παραλαβὼν στρατηγός· ἀλλ' οὐκ εἶπον τὰ πέντε μέρη, ἀλλὰ τὰ τρία. καλῶς εἶπας. ἐν μέντοι τῷ βίῳ τὰ τρία ὅλον τὸ δρᾶμά ἐστιν.*

Istiusmodi hominis, qui proscenii occulto in angulo delitesceret, et si quid titubatum esset ab actore, de scripto statim praeiret et subjiceret, ullum apud veteres apparere vestigium negat Böttigerus (quid sit fabulam docere I. p. 10), idque neminem miraturum, addit, qui vel structuram veterum theatrorum perceperit. — Jam quaeritur, an ab iis, qui pedum supplosione aut scabellis signa modulationibus et saltationibus darent (de quibus ipse Böttigerus altera de eodem argumento diss. p. 6) diversi fuerint *monitores*, de quibus Festus s. h. v. „qui in scena monent histriones." Monitores autem appellati servi, quorum munus esset, obviorum nomina dominis suppeditare; v. Pignorium de servis p. 144 sq. eodem nomine, qui verba sacrificanti praeirent. cf. Reines. Syntagm. Inscript. p. 237. unde non errasse putes Bulengerum, qui diserte scribit, monitores fuisse, qui verba actoribus suggererent. (de theatro I. c. 46.) Sed novam dubitationem movet locus Plutarchi in Polit. praec. p. 497 ed. Bas. *μιμεῖσθαι (δεῖ) καὶ τοὺς ὑποκριτὰς τοῦ ὑποβολέως ἀκούοντας, καὶ μὴ παρεκβαίνοντας τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τὰ μέτρα τῆς δεδομένης ἐξουσίας.* quibuscum conferenda, quae attulit Reimarus ad Dion. Cass. II. p. 1000. Rem igitur in medio relinquam ei viro, per quem haec quaestiuncula nata, si tanti videatur, dijudicandam.

---

*) Hic actuum numerus constat praecipue auctoritate Horat. ad Pis. v. 189. Utrum in tragoediis quoque antiquioribus locum habuerit, mihi non liquet, neque cuipiam, opinor, cur in tot potissimum partes divisa fuerint dramata. Ex cubicis Vitruvii rationibus praef. l. V. non multum proficias; nihil prorsus expedit *Vatry* in diss. où l'on examine s'il est nécessaire, qu'une Tragédie soit en cinq actes. Mémoires de l'Acad. d. Inscr. T. XI. p. 292 sqq. ed. Amst. — Neque attigit hanc rem acutissimus *Lachmannus* in libello nuperrime edito „de mensura tragoediarum" in Graecis tragoediis subsistens, et omnia ad septenarium numerum digerens. A. Guil. *Schlegelius* ludit in ternario numero unitatum, quintario actuum, et, quem suspicatur, septenario personarum. Vorles. II. p. 106. Chorum certe ex septem aliquando palliatis constitisse, testis est Hyginus f. CCLXXIII. An huc advocari debeant *quinque* Comicorum iudices Athenienses, (v. Suidas et Hesych. *πέντε κριταί.*) aut *septem* Alexandrini (Vitruv. L. VII. praef.), alii viderint.

In hoc opinabili genere quoniam semel versor, alii leviculae conjecturae in hoc angulo et locus et venia erit. Cur apud Anacreontem XXXI. 5. Orestes dicatur λευκόπους, nondum satis interpretes intellexerunt. Jam Oresten in scena servili cultu habituque productum fuisse, ex iis apparet, quae Kordesius ad Eberhardti librum p. 35 sqq. p. IX et accuratius nunc Heinrichius de Pacuvii Duloreste disputarunt. Fallor, an latet in illo epitheto festiva quaedam servilis ejus conditionis significatio, quum constet, servis pedes fuisse dealbatos? cfr. Interprett. ad Tibull. II. 3. 60. et Juvenal. I. 111.

III.

Quintiliana quaedam scenici argumenti.

Invehitur Quintilianus L. XI. 3, 57, 58. in eos, qui in orationibus cantent magis, quam pronuntient. „Quid enim minus oratori convenit quam modulatio scenica, et nonnunquam ebriorum aut comissantium licentiae similis? Quid vero movendis affectibus contrarium magis, quam, quum dolendum, irascendum, indignandum, commiserandum sit, non solum ab his affectibus, in quos inducendus est judex, recedere, sed ipsam fori sanctitatem *ludorum talarium* licentia solvere. Nam Cicero *illos ex Lycia et Caria rhetoras paene cantare in epilogis* dixit.“ Illos ludos inepte nunc commemorari, et *ludorum talarium* cum Pithoeo sive Daniele mutandum in *Lyciorum et Carum* leniore etiam medela in *Lydorum et Carum* statuit ad h. l. Spaldingius. Verum quid rei est Lydis et Caribus cum foro, qui in Ciceronianis quidem (Orat. c. 18.) suum locum habent, non item in his? Neque adeo sterilis ingenii erat Quintilianus, ut, Ciceronis verba mox laudaturus, id, quod vellet, non aliis, quam iisdem, posset exprimere. Ludi talarii commodissime fit mentio; nam non scenae modo admoniti sumus, sed ebriorum quoque et comissantium licentiae, quacum ludorum istorum inter convivia inconditi clamores (Plaut. Mil. Glor. II. 2, 165. Curcul. II. 3.) optime congruunt. Ita Cicero in comparatione haud dissimili turpem in ludo talario consessum adhibet ad Att. I. 16. Jam quanta vi ludorum talariorum (ea enim legitima vocabuli forma fuisse videtur, apud Frontonem quoque nunc reperta) licentia fori sanctitati opponatur, non minus ex ipsa re, quam ex illo Philippicarum II. 23. loco intelligitur. Denique illud *nam*, quo sequentia incipiunt, in hac quoque loci constitutione sanissimum, quum non nunc ad Lyciae et Cariae barbariem, sed ad certandi insolentiam omnis oratio vertatur.

L. XI. 3, 73. „In iis, quae ad scenam componuntur, fabulis artifices pronuntiandi a personis quoque affectus mutuantur: ut sit *Aerope* in tragoedia tristis, attonitus Aiax“ etc.

Aeropen inter tragicas personas fuisse, pluribus jam veterum testimoniis probavit Buttmannus ad h. l. addi poterat Ovidius Trist. II. 3, 91. ubi de materia tragica:

Si non Aeropen frater sceleratus amasset,
Aversos solis non legeremus equos.

Lucian. de saltat. T. II. p. 293. ed. Reiz. Sed haec omnia non ita esse comparata, ut Aerope ex omnibus veteris tragoediae feminis prae ceteris tamquam *tristis* menti auctoris nostri obversari potuisse videatur, idem Butmannus jam monuit. Eadem de causa neque *Niobes* nomen, quod codices nonnulli habent, substituere licet. Convenientior tum foret Antiope. — In libris Mscc. praeter alia haec: *Erope, Europae, media.* Nihil mihi probabilius, quam legendum *Merope.* Eadem fere de causa apud Aelian. V. H. XIV. 40. mutavit Valckenar. Diatrib. p. 182. Aeropen in Meropen.

Meropen post Graecos tragicos in scenam produxit Ennius in Cresphonte, cujus reliquias si quis comparaverit collectas a Columna p. 258 sqq. vel inde intelliget, hanc quidem feminam, si quam aliam, *tristem* potuisse appellari.

L. IX. 3, 77. „Sed in quaternarias quoque ac plures haec ratio sententias ire potest. Fit etiam singulis verbis: Hecuba, hoc dolet, pudet, piget et Abiit, excessit, evasit, erupit.“ De his scripsit Osannus Anal. Crit. p. 139. sic: „Burmannus verba *hoc dolet, pudet, piget* ex tragoedia aliqua *Hecuba* censebat decerpta; Planckius ad Enn. Medeam p. 131. Ennii esse suspicabatur collato Euripidis Hecub. v. 556. qui locus cum Latino ita non congruit, ut hic ex illo expressus esse non possit. At uterque falsus est, quum non animadverterent, quod etiam Spaldingium fugit, requiri necessario ex Quintiliani mente exemplum quater repetiti ὁμοιοτελεύτου ut in verbis Abiit etc.; atque quartum hoc ὁμοιοτέλευτον in lectionibus codicum *Haeccuba, haec cubat* corruptis latere apertum est. Sed veram loci scripturam etiam divinare admodum difficile est, ne dicam temerarium. Satius duxi locum notare, quam emendare.“ — Hic primum illud notandum injuriam inferri Planckio, qui quaternionis rationem sane habuit, idque diserte significavit p. 132. deinde videndum, an omnino temerarium sit, veram loci scripturam ac rationem divinare velle. Modo introspiciat mihi aliquis fragmentum tragoediae veteris a Cicerone de Div. I. 31. servatum:

Neque me Apollo fatis fandis dementem invitam ciet,
Virgines vero aequales patris mei, meum factum *pudet*,
Optumi viri: mea mater, tui me miseret, mei *piget*.
Optumam progeniem Priamo reperisti extra me: *hoc dolet*.

Casune accidisse putemus, ut haec ὁμοιοτέλευτα cum nostro exemplo adeo conspirent, an recte facere videamus, si apud Quintilianum reponamus: *ciet, dolet, pudet, piget; Hecuba* autem, fortasse et *hoc* a quodam glossatore profectum censeamus? Atqui dicunt, illum locum ex Ennii Cassandra s. Alexandra petitum v. Fragm. Ennii ed. Hessel. p. 233. Planck. l. l. p. 114 sqq. Hoc certum est, Cassandram loqui, sed fabulam, unde ducta haec, eodem nomine inscriptam, aut Ennii fuisse, quis certo argumento praestet? Quidni *Hecuba* inscripta esse potuerit? Alia autem suboritur dubitatio. Nam ille versus, qui apud Ciceronem statim subsequitur, et ad idem carmen pertinet,

„Adest, adest fax obvoluta sanguine atque incendio.“

bis a Nonio laudatur v. *Fax* et *Involvere*, utrobique additis „*Varro Sexagesi.*“ Quare Victorius Var. Lect. XXIX. 5. totum illud fragmentum Varroni tribuit, Scaliger autem ad Varronem de L. L. II. p. 386 ed. Bip. satis habet Varronianis adposuisse, ut veteris poetae, ea, quae apud Ciceronem leguntur. Idque sane fecit consideratius, quum longe probabilius sit, Varronem haec ex antiqua tragoedia mutuatum, quam totum locum ei deberi; neque vero in hac lite dirimenda omittendum, apud Nonium, ut Varronis, haec tantum legi: *Adest fax involuta incendio.*

Per hanc opportunitatem liceat adhuc ex alieno genere aliquid apud Quintilianum tentare. L. X. 1, 89. de Cornelio Severo locutus pergit: „*Sed eum* consummari mors immatura non est passa.“ In his verbis latere adhuc nomen quoddam poetae, quum ea neutiquam ad Cornelium Severum referri possint, plures jam viderunt. Codd. habent: *ferrenum, Varrenum, farrenum, Terrenum, Varenum.* Miror nondum incidisse criticos, quo ipsa lectionum vestigia ducunt, in *Serranum.* Cum Lucano et Saleio Basso, quos Quintilianus statim recenset, itidem conjungitur apud Juv. VII. 80:

Contentus fama jaceat *Lucanus* in hortis
Marmoreis: at *Serrano* tenuique *Saleio*
Gloria quantalibet, quid erit, si gloriae tantum est.

IV.

Oppositorum et relativorum quaedam ratio; fragmenta inde nonnulla tragicorum illustrata.

Quod sollertes pictores facere saepenumero videmus, ut si velint quaedam in clariori luce ponere, addant umbras obscuriores, aut si magnitudinem alicujus rei nondum satis notae exiguitatemque manifestius cupiant declarare, interponant eximie magna sive parva, notiora quidem et vulgatiora; id artificium poetae quoque aliique scriptores suo jure ac suo modo adhibere solent. Non igitur nunc dico communem illam et satis cognitam vim oppositorum, qua efficitur, ut utraque singularem perspicuitatem et gravitatem nanciscantur, sed talem, qua efficitur, ut oppositorum alterutrum modo per illam vim, quae in oppositis esse solet, magis illustretur, fortiusque animum legentium et audientium percutiat, alterutrum non adsit, nisi ut alteri illustrando inserviat. Tetigit hunc usum Buttmannus in Graeca Gramm. §. 136. p. 571. ubi particulas μὲν et δὲ ei nonnunquam accommodari docet, ex Demosth. Olynth. 2. pro Corona 281. Alia exempla reperies in Isocratis Archidam. c. 19. ἐπὶ μὲν τοῖς γεγενημένοις — περὶ δὲ τῶν μελλόντων — Thucyd. II. 40. cfr. Matthiae Gramm. graec. p. 611. Plut. Tim. c. 20. ἐν μὲν ταῖς μάχαις — ἐν δὲ ταῖς ἀνοχαῖς. κ. τ. λ. Plut. Caes. c. 20. νῦν μὲν τοὺς πολεμίους — νῦν δέ τοῖς ἀπὸ τῶν πολεμίων κ. τ. λ. Habitat autem haec ratio, et domestica quasi est in brevioribus dictis, quae aut in proverbiorum usum similitudinemve cessere, aut acumen quoddam habent vel vehementiorem affectum. v. c. δικαίως, ἀδίκως, οὔτε μέγα, οὔτε σμικρόν, digna indigna pati, dicenda tacenda (Horat. Epp. I. 7, 72. fandi atque nefandi (Aen. I. 542.) qua iure qua iniuria. De his plura Weiskius de pleonasmo. p. 218. Non absimilia nostra: über Berg und Thal, auf geradem und ungeradem Wege, um des Lebens und Sterbens willen etc. Hinc male a Bentlejo tentatum apud Horat. ad Pis. 113. „equites peditesque;“ frustra disceptatum de illis verbis Aen. III. 181. „Seque *novo veterum* deceptum errore locorum,“ et de his in Plut. Timol. c. 14. „ἐθεῶντο — ἐν προδήλοις τὴν τῶν ἀδήλων — δύναμιν.“ Atque ut nulla offensio in loco Virgil. Aen. II. 710. „unum et commune periclum, una *salus* ambobus erit,“ aut Ecl. II. 22. „Lac mihi non aestate novum, non frigore defit;“ ita facilis venia erit Ovidianis Herodd. III. 89. „simque ego tristitiae *causa* modusque tuae;“ difficilior sane audaciae Lucani (VI. 418.) qui sic:

Ad dubios pauci praesumto robore casus
Spemque metumque ferunt.

Metus ob spem additus est hoc sensu: Pauci tam robusto fuerunt animo, ut quidvis sperandum, nihil admodum metuendum existimarent. L. V. v. 348. Caesar rebelles milites ita alloquitur:

Nec melior mihi vestra fides, si bella nec *hoste*,
Nec duce me geritis.

Intelligitur, ducem modo commemorari, ut hostis opponeretur gravius. Vos mihi, ea enim est Caesaris sententia, contemti eritis, nisi transituri sitis ad hostium partes.

Eodem modo in fragmento Ennii, quod est apud Charisium, cfr. Enn. fr. ed. Hessel. p. 288: „*tibi vita seu mors in mundo est,*“ quocunque referatur, patet, *vitam* non additam, nisi *mors* ut

haberet, quod sibi opponeretur, ut apud Eurip. Alc. v. 277. ἐν σοὶ δ' ἐσμὲν καὶ ζῆν καὶ μή. — Quod apud Varronem legitur L. L. l. VI. p. 83. ed. Bip. eiusdem, si vera est Scaligeri conjectura, Ennii:

„*Extemplo acceptum me necato et filium.*“

similem habet rationem. Quisquis enim dixerit, (cfr. Enn. fr. p. 234.) filium certe occidi noluit: noluit item Orestes negare, se matrem occidisse, quando apud Eurip. in Iphig. I. v. 1014. dicit:

οὐχ ἄν-γενοίμην σοῦ τε καὶ μητρὸς φονεύς.

Nonnunquam tamen haec oppositorum ratio latius patet et diducitur, ut ita dicam, per plures enuntiationes, ut fit apud Cic. pro Muren. c. 17. Dixerat, nihil esse incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum; tum haec subiungit: „Ut tempestates saepe certo aliquo caeli signo commoventur, saepe improviso nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex causa excitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari saepe intelligas, quo signo commota sit; saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur.“ Hic certa signa nonnisi eo consilio adtulit orator, ut fortuita et obscura tanto clarius ostenderet.

In eodem concitatiore sermone invaluit diversus a vulgato pronominum relativorum usus, is quidem, ut graviter interrogando tantum inserviant, ex propria sua significatione accipi nequeant. Attius in Erigona ap. Non. v. Porcet:

Quibus oculis quisque nostrum poterit illorum obtui
Voltus, quos jam ab armis anni porcent.

Explicantur haec quodammodo illis apud Eurip. Iphig. A. v. 455.

„Πῶς δέξομαί νιν; ποῖον ὄμμα συμβαλῶ; vel apud Plaut. Cas. V. 3. „Quomodo meam uxorem adspiciam contra oculis.“ Cujus rationis haud sane infrequentis diligentior observatio poterat hic illic a mutandi libidine retinere. Quare aliquot adhuc exempla addere juvat. Cic. Verr. III. 57. *Ecquod* judicium Romae etc. IV. 39. *quam* mihi religionem etc. Philipp. II. 27. *quae* charybdis tam vorax? de Orat. I. 23. 105. *Quem* Staseam, *quem* Peripateticum narras? Epp. ad Fr. IX. 16. *quem* tu mihi primipilum, *quem* thynnarium narras? Cic. ap. Lact. Inst. V. 19. Huic tamen *quas* divitias objicies etc. Tac. Ann. XIII. 42. *qua* sapientia paravisset. Ovid. Epp. ex P. IV. 10. 3. *Ecquos* tu silices, *ecquod*, carissime, ferrum duritiae confers etc. Virgil. Ecl. VI. 80. 81.

Quo cursu deferta petiverit, et *quibus* ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis.

Quibuscum comparandus erat Aen. III. v. 337. ut intelligeretur, nulla esse opus mutatione. Hoc dicendi modo nescio an commodissime expediatur locus perquam difficilis Aen. I. 7. *quo numine laeso*; de quo seorsim et ingeniose scripsit Seidenstückerus. (Comment. Philol. ed. Rupert. et Schlichth. Vol. II. Brem. 1794. p. 208.). Adjicitur pronomen vocabulo *numine*, non quasi plura nunc numina cogitari possint aut debeant, quorum aliquod laesum sit; verum ut oratio aptius nectatur, et sententia gravius exprimatur, hoc quidem sensu: Causas memora, quibus factum, ut numen Junonis laederetur (cfr. II. 183. Horat. Epod. XV. 3.) et quid dolens eadem etc. — In eundem modum accipi equidem velim ista Horat. od. L. I. 3. 17. *Quem mortis timuit gradum*, ut simplex illa expressa sit sententia: num ille mortem timuit?

Duplici ratione videmus eam, de qua loquimur, orationis figuram conformari. Nam si quod substantivum jam in ipsa enuntiatione, quod abesse vix potest, adest, illi pronomen adnectitur, velut

in illis: *quem senatum*, *ecquod ferrum*, alias ex sententia, hoc modo pronuncianda, elicitur aliquod, quod aliquam ad eam habeat rationem, eique pronomen adjungitur, v. c. in illis: *quibus oculis*, *quo cursu*, ubi fit commodius; durius in his: *quibus alis*, *quo numine*.

V.

Joh. Lydus de tragoedia et comoedia Romana.

Non diu est, quod rei scenicae Romanae historia haud contemnendam accessionem nacta est in libro Joh. Lydi de magistratibus Reip. Rom. a Fussio et Hasio primum edito Lugd. Bat. MDCCCXII. ubi agitur de variis tragoediae et comoediae generibus L. I. §. 40. p. 68. Bene jam de hoc loco meriti sunt uno fere tempore Reuvensius in Collect. Litterar. Lugd. Batav. MDCCCXV. p. 20 sqq. et Osannus in Analectis Crit. Berolin. anno post editis p. 67 sqq. Equidem aliquam apud eos, qui haec legant, me gratiam initurum spero, si totum hunc locum, indicatis illorum duumvirorum emendationibus, subjecero.

Egerat scriptor de tempore belli Punici secundi; tum ita pergit:

Τότε Τίνιος a), ὁ Ῥωμαῖος κωμικὸς, μῦθον ἐπεδείξατο ἐν τῇ Ῥώμῃ. Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο b) εἰς κρηπιδάταν καὶ c), πραιτεξτάταν· ὧν ἡ μέν κρηπιδάτα d) Ἑλληνικὰς ἔχει ὑποθέσεις, ἡ δὲ πραιτεξτάτα Ρωμαϊκάς. Ἡ μέντοι κωμῳδία, τέμνεται εἰς ἑπτὰ, εἰς παλλιάταν, τογάταν, ἀτελλάνην, ταβερναρίαν, Ῥινθωνικὴν, πλανιπεδαρίαν, καὶ μιμικήν· καὶ παλλιάτα μέν ἐστιν ἡ Ἑλληνικὴν ὑπόθεσιν ἔχουσα κωμῳδία, τογάτα δὲ ἡ Ρωμαικὴν, ἀρχαίαν· ἀτελλάνη δέ ἐστιν ἡ τῶν λεγομένων ἐξοδιαρίων· ταβερναρία δέ ἡ σκηνωτὴ ἤ θεατρικὴ e) κωμῳδία· Ῥινθωνικὴ ἡ ἐξωτική· f) πλανιπεδαρία ἡ καταστολαρία· g) μιμικὴ ἡ νῦν δῆθεν μόνη σωζομένη τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν, λόγῳ μόνον τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι h).

Ὅτι δὲ ἀναγκαῖον οἶμαι ἐμβραδῦναι τῷ λόγῳ, προσθήσω καὶ τοῦτο. Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήραν καὶ Βλέσόν καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγορείων i) ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων k) ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος

---

a) Fussius suspicabatur *Τιτίνιος*. Reuv. et Osann. emendant *Λίβιος*.

b) E Donato quaedam supplendo locum constituit Reuvens. sic: *Ὁ δὲ μῦθος τέμνεται εἰς δύο· εἰς Τραγῳδίαν, καὶ Κωμῳδίαν. Καὶ ἡ μὲν Τραγῳδία εἰς κρηπιδάταν κ. τ. λ.*

c) Osannus mavult *πραιτέξταν*, quum in codice *πρετέξαντα* legatur; at in sequentibus codex habet *πρετέξατα*, et ea forma Grammaticis est frequentior.

d) Hoc vocabulum alias non legitur, nisi in Donat. Comment. ad Adelph. Prol. v. 7. Illustravit Reuvens.

e) Reuvensius haec *ἤ θεατρική* a glossatore adscripta putat, qui non vidisset, vocabulo *σκηνωτή* non scenam nunc, sed tabernam significari. Osannus conjecit: *οὐ θεατρική*.

f) Corruptum hoc habet Osannus, quia non intelligatur, qua ratione Rhintonica fabula nomen proprium extraneae nancisci potuerit, quum idem eodem jure palliatae convenisset. Scribit igitur *ἐξαμετρική*. Potuit vero illud comicae poeseos genus commode *extraneum* dici, quia in Graecis theatris exhiberi solitum est (cfr. Eichstad. de dram. Graec. Comico-Sat. p. 44. Hermann ad Aristot. Pot. p. 99.) Romae publice non edebatur, ut palliata.

g) *Καταστολαρία* quid sit, nescire se profitetur Fussius. Eam esse, quae per riciniatos mimos apud Festum significetur, latino vocabulo dictam fortasse *riciniatam*, uterque docuit.

h) Osannus rectius haec ita interpunxit: *τεχνικὸν μὲν ἔχουσα οὐδὲν λόγῳ, μόνον δὲ τὸ πλῆθος ἐπάγουσα γέλωτι.*

i) Reuvensius in h. l. *Ἀσκήραν* mutare vult in *Σκίραν* (de quo Athen. III. c. 4. p. 77.), admodum puto probabiliter; Osannus in *Ἀρήσαν*, Pythagoreum aliquem. Pro *Βλέσον* uterque reponit *Βλαῖσον*. cfr. Athen. III. c. 28. p. 111. Steph. Byz. *Καπριήνη*. Pro *Πυθαγορείων* sive *Πυθαγόρων* quod in codice est, emendat Reuvens. *Φλυακογράφων*. Vulgatum non sine iusta causa tueri mihi videtur Osannus.

k) *Οὐ μικρῶν διδαγμάτων* vertit Fussius: „egregiarum disciplinarum auctores,“ quocum consentire videbur Osannus. Reuvensius *δίδαγμα* accipit de fabula, comparans *docimen* apud Terentianum Mau-

γενέσθαι καθηγητάς, καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὅς ἑξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε. Μεθ' ὅν καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν, οὓς καλοῦσι Ῥωμαῖοι σατυρικοὺς, οἱ νεώτεροι, τὸν Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χαρακτῆρα ζηλώσαντες, τοῖς μὲν Ῥίνθωνος μέτροις, τοῖς δὲ τῶν μνημονευθέντων διασυρμοῖς χρησάμενοι, τὴν σατυρικὴν ἐκράτυναν κωμῳδίαν· Ὁράτιος μὲν οὐκ ἔξω τῆς τέχνης χωρῶν· Πέρσιος δὲ τὸν ποιητὴν Σώφρονα μιμήσασθαι θέλων, τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμαυρόν· Τοῦρνος [l]) δε καὶ Ἰουβενάλιος καὶ Πετρώνιος, αὐτόθεν ταῖς λοιδορίαις ἐπεξελθόντες, τὸν σατυρικὸν νόμον παρέτρωσαν. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας τε καὶ τραγῳδίας.

Licebit nunc ex iis, quae a Grammaticis relata accepimus, varia tragoediae et comoediae genera suis nominibus consignata tanquam in tabella proponere haec:

Tragoedia argumenti — *Comoedia* latius dicta — *Atellanae*

Graeci — Latini
Crepidata — *Praetextata*

Comoedia argumenti — *Mimi* argumenti

Graeci — Latini — Graeci — Latini
Palliata — personarum — *Palliati* — *Planipedes* (*Riciniati*)

nobilium — vilium
Togata (*Trabeata*) — *Tabernaria.*

Horum nominum hic sollemnis usus fuit, a quo videntur discedere, qui v. c. de *tragoedia togata* (ut Wetzel. ad Brut. p. 115.) aut *palliata* (ut Osann. p. 44.) loquuntur, quamquam minime negamus, errore ac lubidine scriptorum, aut scribarum plura fuisse in hoc genere confusa.

De *trabeatis* unicus est locus Suet. de ill. Gramm. c. 21. „fecit (C. Melissus) et novum genus Togatarum, inscripsitque *trabeatas?*" ad quem recentissimus editor: „Trabeae ab equitibus et in luctu etiam gestabantur v. Suet. Dom. c. 14. Lips. ad Tacit. Ann. III. 2. quod facere potest ad indagandam nominis novi fabularum generis causam." Atqui ex locis illis ipsis patet, trabeam minime luctui tantum propriam fuisse. Non majori probabilitate ad triumphantes illius nominis retulit Cuperus Observatt. L. I. c. X. p. 66. Hoc unum in reliqua rei obscuritate tenendum videtur, illas fabulas ad equites potissimum pertinuisse. De earum auctore *C. Melisso* v. Heins. ad Ovid. epp. ex P. IV. 16. 30 et Lindemannus ad Pompeii Comment. p. 426.

VI.

Locus in Platonis Menexeno. Tacitus tragicus.

Inter Graecas tragoedias, quae historico in argumento versarentur, praeter *Aeschyli Persas* novimus nonnisi duas adhuc fuisse, *Phrynichi Phoenissas*, et *Excidium Mileti.* Fuerunt igitur jam antiquo tempore et inter aequales, qui Persarum victores cantu celebrarent. Praeter fabulas autem illas Aeschyli et Phrynichi, ne Aeschyli Ἐλεγεῖα ad idem argumentum a pluribus relata v. Fabr. Bibl. Graec. ed. Harl. II. p. 184. nunc adferam, satis innotuerunt *Persica Choerili Samii* (v. Näck. de Choerilo p. 21 sqq. p. 78 sqq.) et *Simonidis Cei.* v. Suid. h. v. Schol. Apoll. Rhod. I. 211.

rum, et conjicit *οὐ μακρῶν* p. 72 et 77. Equidem illud probo, sed pro *οὐ μικρῶν* rescribendum censeo certissima emendatione *κωμικῶν*.

l) *Τοῦρνος* corruptum putabat Fussius; quem errorem confutavit jam Reuvens. p. 86, 7.

Jacobs. ad Anth. Gr. Vol. XIII. p. 952 sq. Graecorum in bellis Persicis res gestas poetis materiem praebuisse diserte testatur Isocrat. Paneg. c. 42. neque aliud, si qua hujus est in hac re auctoritas, Aristides T. II. p. 156. ed. Jebb. Quare non potest non mirationem facere, quod Plato in Menexeno P. II. Vol. III. p. 387 ed. Bekker. de his ipsis bellis verba facturus praemittit haec: ὧν δὲ οὔτε ποιητής πω δόξαν ἀξίαν ἐπ᾽ ἀξίοις λαβὼν ἔχει, ἔτι τ᾽ ἐστὶν ἐν ἀμνηστίᾳ, τούτων πέρι μοι δοκεῖ χρῆναι ἐπιμνησθῆναι ἐπαινοῦντα τε καὶ προμνώμενον ἄλλοις, ἐς ᾠδάς τε καὶ τὴν ἄλλην ποίησιν αὐτὰ θεῖναι πρεπόντως τῶν πραξάντων. Quid igitur statuendum? Addeturne hoc quoque argumentis, quibus hujus dialogi fides denuo nuper impugnata est a viro accuratae doctrinae, Dahlemanno, in libro inscripto: Forschungen aus dem Gebiete der Geschichte. Altona. 1822. I. p. 23 sqq. an putemus Platonem de illis poetis minus honorifice sensisse, haec certe carmina omnia suo argumento indigna habuisse? Cujus judicii vestigium sane, quamquam levius, et de Chöerilo modo in Procli comment. in Plat. Timaeum I. p. 28. exstat, ostensum jam a Schellenbergio ad Antim. reliqq. p. 36 et a Naeckio l. l. p. 92.

Verum ab historicis tragoediis transire liceat ad tragicas, et Romanorum quidem, historias. In Romana historia quum multa insint, quae tragicam poesin non dedeceant, arte tamen opus est historici, ut, quos homines aut fortuna sua aut virtus ultra reliquos mortales evexit, eorumque, quae excedunt consuetum rerum ordinem, fata et facinora eodem, quo tragicae scenae personas et actiones, affectu complectamur. Quantum hoc in genere valuerit Livius, dedita opera demonstravit Meierotto in libello: „de Titi Livii arte narrandi et artificio historico Berol. 1798. Pluribus inprimis illustrat ejus de Syphace et Sophonisbe L. XXIX. 23. LXXX. 12 sqq. narrationes, quibus illud historicum egisse censet, „ut lectores, ut qui jam vidissent, quid in eloquio et orationibus possit, etiam cognoscerent, quid poesi scenica, si illi se dare voluisset, effecturus videretur." Aliud tragicum vere argumentum eum peregisse existimat, dum aemulationem et invidiam Persei et Demetrii, extremorum Macedoniae stirpis principum de regno Macedonico concertationes, vere Thyesteam scenam, iteraverit. C. I. p. 30.

Ea vero tragica, si hoc nomine appellare licet, in historico ars illustrior est, quam apud quempiam veterum recentiorumve historicorum, ex mea quidem sententia, in *Cornelio Tacito*. Ingenium ejus tam altum, dictio tam acris, argumentum tam lugubre et horrendum, ut, sive sententias, ictuum gravium instar passim injectas, spectemus, sive mores ad veritatem et gravitatem depictos, sive denique casus et conatus ad excitandos miserationis et terroris sensus mirifica vi enarratos, haec tamquam a poeta dicta divinitus, nosmet ipsos in tragicam scenam delatos putemus. Negantibus ne copiosissima quidem disputatione, dubitantibus aliquot exemplorum commemoratione satisfactum iri spero.

Frequens est Tacitus sententiis, in quibus non ventosum declamatorem, sed animi humani sagacissimum perscrutatorem, rerum humanarum prudentissimum arbitrum, ipsius denique humanitatis gravissimum vindicem agnoscas. Nonne *pondera* cum veteribus recte dixeris, qualia ista sunt: „Proprium est humani generis odisse quem laeseris." Agric. „Is habitus animorum fuit, ut pessimum facinus auderent pauci, plures vellent, omnes paterentur." Hist. „etiam Sapientibus cupido gloriae novissima exuitur." Hist. „cupidine humani ingenii libentius obscura credi." Hist. „Adulatio, blanditiae pessimum veri affectus venenum." Hist. „Quibusdam fortuna pro virtutibus." Hist. „Sciant, quibus mos est vim et audaciam mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse." Agric. „Beneficia ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur." Ann. „Insita mortalibus natura

recentem aliorum felicitatem aegris oculis introspicere, modumque fortunae a nullis magis exigere, quam, quales in aequo videre.“ Hist. „Argentum et aurum propitii, an irati dii negaverint, dubito.“ de Germ. (quorum color forsan ductus ex Cic. orat. pro Coel. c. 27). „Quod inter ancipitia deterrimum est, dum media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.“ Hist. „Omnia metuenti praesentia maxime displicent.“ Hist. „Summa scelera incipi cum periculo, peragi cum praemio.“ Ann. „Prima dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros.“ Ann. „Metus et terror infirma vincula caritatis, quae ubi removeris, qui timere desierint, odisse incipient.“ Agric.

Jam qua arte ille singulorum hominum ingenia depinxerit, ut paucis quasi lineamentis totum animi morumque habitum referret, nemo est, qui ignoret. Ac tragicum sane quiddam spirant ad hunc modum non leviter adumbratae, sed planissime expressae imagines Tiberii, Germanici, Neronis ac Drusi (Annal. IV. 60 ad quorum similitudinem a Schillero effictos paene credas Manuelem et Caesarem fratres) Sejani, Pisonum, Neronis, Galbae, Thraseae, Helvidii, Agricolae, Agrippinarum, Messalinae, Poppaeae, aliorum. Hinc factum, ut plerique recentiorum poetarum, qui istos homines in tragicam scenam producerent, ea, quae Tacitus prolusisset, nonnisi exornarent studiosius.

Postremo non modo in otiosa morum descriptione, sed ubi ad res ventum est, ad pericula, pugnas, caedes, coniurationes, clades etc., in horum omnium actuosissima tractatione emicat ejus ad tragoediam quasi natum ingenium. Germanicum exsequias legionibus in Teutoburgiensi saltu caesis facientem A. I. 61. Germanici mortem A. II. 69. Agrippinam mariti cineres portantem A. III. 1. Cremutii Cordi constantiam IV. 34 sqq. Amphitheatri apud Fidenas casum A. IV. 62. Sabini interitum A. IV. 68 sqq. Tiberium conscientiae furiis actum A. VI. 6. Britannicum veneno sublatum A. XIII. 15 sq. Bococali ferociam A. XIII. 55. Agrippinae caedem A. XIV. 3 sqq. Octaviae sortem miserrimam A. XIV. 60 sqq. Incendium urbis sub Nerone A. XV. 38 sq. conjurationem Pisonis XV. 48 sqq. Serviliae pietatem A. XVI. c. 30 sq. Thraseae interitum XVI 34 sqq. Othonis mortem H. II. 45 sqq. Julium Mansuetum a filio caesum H. III. 23. Cremonae excidium. H. III. 52 sqq. haec omnia qui legerit enarrantem, non se ea legisse, sed spectasse, et non sine magna quadam animi commotione spectasse profitebitur. Quodsi Plato civitatem tragoediam appellare ausus est (de legg. VII. p. 817. ed. Bekker.) haec Taciti historia, qua „Deum iram in rem Romanam“, qua „opus opimum casibus, atrox proeliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace saevum“ persecutus est, excusatius nobis dicetur *una*, quae aetatem tulit, *Romanorum tragoedia.*

ERRATA QUAEDAM.

p. 14, l. 9 del. *potuisse.*
p. 15, l. 22 pro *quum* leg. *quam,*
p. 16, n. 21. l. 7. leg. *rarissima.*
p. 19, l. 26 med. add. *inter comoedos (cfr. Donat. ad Ter. Andr. IV, 3.)*
p. 21, l. 9 pro *his* leg. *iis.*
p. 24, n. 36, l. 3 pro *Mactius* leg. *Maecius.*
p. 26, l. 9 leg. *v.* 447.

Alia levioris notae hic illic, in verborum praecipue interpunctionibus, peccata lector facile ipse corriget.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 2 l. 20 pro *rei* leg. *causae*
— 9 l. 14 — *est* — *et*
— 13 l. 22 — *pondus* leg. *ponderis*
— 16 l. 21 — Tusc. l. II. 20. leg. 21. et *add. G. S. Francke* über Cicero's zweyten Tuskulanischen Dialog zur Prüfung eines von Lessing darüber gefällten Urtheils. Schleswig. 1796. repetit. in Collectione, quae inscribitur: Magazin für Philologen, herausg. von Ruperti und Schlichthorst. II. B. Bremen 1797. p. 159 ff.
— 28 l. 3 — *quin* leg. *qui*
— 30 l. 33 — detinendum leg. retinendum
— 31 l. 11 — exsibillatur leg. exsibilatur
— 31 l. 24 — Lael. c. 7. *add.* Ovid. Epp. ex P. II. 6. 27. 28.
— 31 l. 25 — *affectu* leg. *actu*
— 38 N. l. 25 pro p. I. leg. P. I.
— 40 N. l. 8 del. *iis*
— 46 l. 3 pro subpubitat leg. subdubitat
— 47 l. 25 — certand leg. cantandi
— 48 l. 22 — videamus leg. videamur
— 50 l. 30 — *nulla esse opus mutatione* leg. nulla esse in hoc opus mutatione
— 51 l. extr. pro *videbur* leg. videtur
— 52 l. 26 pro illius nominis leg. illud nominis
— 52 l. 32 *novimus nonnisi duas adhuc fuisse* etc.

Haec corrigenda secundum ea, quae Meinekius in Commentatt. Miscell. Fasc. I. Halae 1822. p. 30. 31. demonstravit, unde patet, plurium Graecarum tragoediarum ex historico argumento et ex ipsis quidem Persicis bellis petitarum apud veteres fieri mentionem.

Notandum praeterea, Commentationis de Pacuvii Duloreste p. 1. 36. 47. laudatae non *Heinrichium* esse auctorem, sed *Naekium*.